> **Omne quod participat uno, unum est vel non unum**.
> *Expl.* (f. 142v): **Omnes deorum anime et semper assequentes diis inferiores quedam sunt divinis superexpanse, aut sunt partialibus animabus**.

23. Edited by C. Vansteenkiste: *Procli Elementatio theologica translata a Guilelmo de Moerbeke (textus ineditus)* in *Tijdschrift voor Filosofie* 13 (1951), 263–302 and 491–531.

> Ratio huius est quoniam divine anime propter nature sue coherentiam cum excellenti divinas participant bonitates conformitate sua, continue divini pulcritudinem colligantur superexpanse sunt partialibus animabus que non secundum totalitates nec semper intellectualiter operantur sed obediunt et quodammodo participant intellectu. AMEN.

– ff. 143r–159v: Thomas Aquinas, *De ente et essentia*.

> *Inc.*: Quia parvus error in principio magnus est in fine secundum Philosophum primo Celi et Mundi, ens autem et essentia sunt que primo intellectu concipiuntur, ut dicit Avicenna in primo libro sue methaphisice, ideo ne ex eorum ignorantia errare contingat, ad horum difficultatem aperiendam dicendum est quid nomine essentie et entis significetur et quomodo in diversis inveniantur et quomodo se habeant ad intentiones loycas, scilicet genus, speciem et differentiam.
> *Expl.*: Sic ergo patet quomodo essentia ⟨est⟩ in substantiis et accidentibus, et quomodo in substantiis compositis ⟨et simplicibus⟩, et qualiter in hiis omnibus intentiones loycales et universales inveniantur, excepto primo ⟨principio⟩, quod est in fine [!] simplicitatis omnium. Cui non convenit ratio generis vel speciei et per consequens nec differentie propter suam simplicitatem. In quo est finis et consummatio ⟨huius⟩ sermonis.

This *explicit* is followed by the colophon, which dates the completion of this copy Sept. 20, 1432.

> Explicit liber fratris (sic!) Thome de Aquino ordinis predicatorum. deo gracias. Anno domini MCCCCXXXII, pontificatus sanctissimi in Xto patris et domini nostri domini Eugenii pape quarti anno secundo, in vigilia beati apostoli et evangeliste Mathei in scola Caminensi per manum domini Hermanni de Heyda rectoris parvulorum tunc ibidem.

Next in red *Explicit libellus de ente et essentia*.

– ff. 160r–169r: ⟨Aristotle⟩, *Liber Yconomicorum*

> *Inc.*: Yconomica et politica differunt non solum sicut domus et civitas (hec enim subiecta sunt eis communia), verum etiam quod politica [que] est ex multis principatibus, yconomica vero monarchia.

These are indeed the opening words of the Aristotelian work. The first folios show a great many of marginal glosses. Later on, the copyist seems to intermingle text and glosses in a misleading way. Anyhow the explicit does not concern the Aristotelian text.

> *Expl.*: Propter que et nobis communiter decet iuste considerantes ad omnes deos eum qui vitam habet, et multum ad suam uxorem et filios et parentes. Explicit liber yconomicorum.

Next in red *Explicit liber yconomicorum*.

The text of this treatise is preceded by a medical note concerning flatulency: *Cepe poma pira pisa vicia[?] fabe omnia sunt vaporosa et debilitant oculos et caput*.

– ff. 169^{v}–174^{r}: Boethius ⟨Dacus⟩, *De summo bono*

This tract is preceded by the heading in red *Tractatus Boecii de summo bono*.

> *Inc.*: Cum in omni specie entis sit aliquod summum bonum possibile et homo quedam species entis est, oportet ergo quod aliquod ⟨summum⟩ bonum sit homini possibile; non dico summum bonum absolute, sed summum in homine. Bona ⟨enim⟩ possibilia homini finem habent nec procedunt in infinitum. Quid autem sit summum bonum quod est homini impossibile investigare, per rationem investigamus. Summum bonum quod est homini possibile, est quod est per optimam suam virtutem et debetur sibi. Non enim secundum animam vegetativam, que plantarum est, nec per animam sensitivam, que bestiarum est, unde delectationes sensuales bestiarum sunt et bestiales. Optima autem virtus hominis ratio et intellectus est. Est autem summum humane vite bonum tam in speculando quam in operando. Ergo summum bonum inest homini secundum rationem et intellectum. Dolere enim debent qui in delectationibus sensualibus detinentur, bona intellectualia obmittendo, quia suum summum bonum non attingunt, cum dediti sunt bonis sensualibus et non querunt bonum ⟨secundum⟩ intellectum.
> *Expl*: Hec est vita philosophorum sine qua nemo vivit vita recta. ⟨Philosophum autem voco omnem hominem viventem secundum rectum ordinem nature⟩ et qui finiens vitam acquirit ultimum finem optimum vite humane. Primum ⟨autem⟩ principium de quo sermo factus est, est deus gloriosus et sublimis qui vivit et regnat in secula seculorum. amen.

Next in red *Explicit tractatus Boecii de summo bono. Incipit de uno et unitate tractatus*.

This is the well-known tract by Boethius of Dacia which is found in at least 11 other copies, in which it is sometimes wrongly asribed to Thomas Aquinas, sometimes simply to Boethius, and sometimes correctly to Boethius of Dacia (e.g. in the Stiftsbibliothek at Admont, Ms. 485, ca. 1300, f. 59^{v}). The complete title is *Opusculum Magistri Boetii Daci de summo bono sive de vita philosophi*. It was edited by Martin Grabmann in "Die Opuscula *De summo bono* sive *De vita philosophi* und *De sompniis* des Boethius von Dacien" in his *Mittelalterliches Geistesleben*. Abhandlungen zur Geschichte der Scholastik und Mystik, Band II (Munich 1936), 200–224; edition, 209–216.

– ff. 174r–176v: ⟨Anonymi⟩, *Tractatus de uno et unitate*.
First in red *Incipit de uno et unitate tractatus*.

Inc.: Unitas est qua unaquaque res una dicitur sive sit simplex sive composita sive spiritualis sive sit corporea, nec potest esse una sine unitate, sicut nec alba sine albedine nec quanta sine quantitate. Non autem semel solum unitate est unum, sed quod diu est quicquid est. Cum autem desinit esse id quod est, unum non est. Quidquid enim est, ideo est quia unum numrero est. Quod sic ostenditur. Omne enim esse ex forma est in causatis. Sed nullum esse est ex forma nisi cum materia unum est. Nunc autem unitio non potest esse sine unitate. Esse ergo non est nisi ex forme coniunctione cum materia una vel econverso. Unde philosophi scribunt id esse coniunctum forme cum materia.

Expl.: Unde aperte datur intelligi quod continue quantitatis radix unum vel unitas est eoquod componitur ex una re et resolvitur ad unum. Et etiam corporis partes quando sibi fiunt magis coniuncte et ⟨minus⟩ dissolute, ipsum corpus spissius erit et magis quantum, ut lapis. Et econverso, quanto magis fiunt partes corporis dissolute et rare, ipsum erit subtilius et levius et minus quantum, ut aer. Universaliter ergo quantitas continua non venit in substantiam nisi ex coniunctione et constructione unitatum in illa. Unitas ergo est qua unaquaque res una est et est illud quod est. Deo gratias.

Next in red *Explicit tractatus de unitate et uno*. Another copy of this tract is found in another fifteenth century manuscript preserved in the Bayerische Staatsbibliothek in Munich (Clm. 6942, ff. 72r–73v), which formerly belonged to the Cistercian monastery of Fürstenfeld in the diocese of Freising (Bavaria). There it is (wrongly) ascribed to Boethius. It might be an abridgement of Dominicus Gundisalvi, *De unitate*, edited by P. Correns, *Die dem Boëthius fälschlich zugeschriebene Abhandlung des Dominicus Gundisalvi, De unitate* in *Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters*. Texte und Untersuchungen hrsg. von Clemens Baeumker I, 1 (Münster 1891).

– ff. 177r–178v: ⟨Fragmentum tractatus cuiusdam⟩
In the top margin of f. 177r there is a heading in red *Fontis vite liber Avicebron*.
The rather obscure text is clearly written.

Inc.: Quoniam vitam in multis esse differenter distinguit(!) scit democritus calorem vite principium esse hiis nutriri et augeri et moveri vitam autem nullum inanimatorum sicut calorem non habentia nutriri aut augeri aut moveri dixit. infinitas enim figuras habere ut ex athomis. et ideo per porosa velocius penetrare movent enim cum moventur. et corpora densa omnia et frigida tardissime moveri naxaures[!] que per poros in radiis videntur

decisiones in aere numquam quidem et si sit tranquillitas magis semper videtur utique fieri. hoc autem in animalibus principium numquam vero proprie semper omnino ipsas quiescere terminum vero videtur in animalibus omnino ipsas respicere ……
Expl. (178v): …. quid ergo prohibet divisas[!] naturas in omnibus animalibus et infinitas dispositiones existere. quale enim intellectus ponit tale vel amplius fieri ex habundanti ⟨et deficere *add. Msc*⟩ enim maxime generatio et extra iacentibus qualitatibus hoc esse. ideo enim agens et patiens similiter se habent semper idem ut tale innatum dec[?] erit facere. quocirca generatio et corruptio in omnibus semper esse nec umquam deficiet excepta sui autoris autoritate.

Then in red *Explicit liber fontis vite*. Incipit de pomo et morte aristotilis. In fact, this anonymous fragment is neither part of the well-known Latin translation of Avincebrol's (Ibn Gebirol) *Fons vitae* by Johannes Hispanus and Dominicus Gundisalvi nor of the *Epitome Campililiensis*, edited by Clemens Bäumker from a Lilienfeld manuscript (cod. 144) in *Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters. Texte und Untersuchungen* 1, 1–4. (Münster Aschendorff 1892–1895).

– ff. 178v–188v: ⟨ps.-Aristotle⟩, *Liber de pomo et morte* in the translation made by Manfred, King of Sicily. The text seems to be rather corrupt.

Proemium (178v–180v). *Inc.*: Incipit de pomo et morte aristotilis. Cum homo creaturarum dignissima similitudo ⟨dei⟩ sit omnium ad ymaginem dei Creaturarum⟩ factus, et nobile propter ignobile sit creatum: sicut nichil eo fit nobilius ut estimatur quam se suumque creatorem cognoscere, sed nec dampnabilius aliquid quam utrumque solum sensibilium debilitas ignorare viam, licet a Primo, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat et sui vultus lumine nos signavit, illuminatione prima et ultima re⟨ve⟩lationem recipiat … [179v] … Quapropter nos Manfredus divi augusti Frederici imperatoris filius, Dei gracia princeps Tharentinus, honor⟨abil⟩is Montis sancti Angeli dominus … Cum corpus nostrum gravis infirmitas adeo molesta maceraret ut nulli de cetero posse corporaliter crederemus vivere et astantes ad nostros dolores multa torquere[n]t angustia, nos, ut ipsi, timore de mortis imminentia estimabant(!) … In quo occurrit nobis liber Aristotilis principis philosophorum qui *De pomo* dicitur, ab eo editus in exitu vite sue, quo probat sapientes de exitu hospicii lutei non dolere sed gaudentes ad perfectionis premium currere. Quem librum cum non inveniremus inter Christianos: quoniam eum legimus in hebraico translatum de arabico in habraicum, sanitate rehabita, ad erudicionem multorum de hebrea lingua transtulimus in latinam. In quo a compilatore quedam recitabilia inseruntur. Nam dictum librum aristotiles non vocavit, sed vocatus ab aliis extitit qui causam hilaritatis sue mirtis(?) discere voluerunt. …

Tract (180v–188v). *Inc.*: Cum autem clausa esset via veritatis sapientibus et impedita via rectitudinis intellectui, convenerunt sapientes in una domo. Et concordes estimaverunt declinare et intelligere viam rectitudinis per quam homines vivere possunt. Et non invenerunt nisi unam viam. Que fuit ut homo illud vellet proximo quod pro se et quod subtrahat se a re turpi et confiteatur veritatem sumatque iudicium a seipso et timeat creatorem suum. Fuit in illo tempore quidam sapiens magnus famosus et intelligens, et ⟨erat⟩ eius nomen aristotiles. Et omnes sapientes temporibus suis audiebant scientias suas et intelligebant intentiones suas et docebantur ab eo. Et cum applicuisset ad tempus mortis sue ⟨et⟩ egrotasset infirmitate qua moriturus extitit, convenerunt omnes sapientes et invenerunt eum timere et infirmitatis causas cognoscere. Quem invenerunt quoddam pomum in manu habentem et adorantem illud.
Expl.: Et cum sapiens aristotiles applicuisset ad finem horum sermonum, inceperunt manus sue titubare, a quibus pomum cecidit quod tenebat. Et cum cepisset nigrescere facies, expiravit. Super quem aristotilem scolares proni ceciderunt singuli et osculati sunt eum. Et elevaverunt unanimiter ululatum plorantes magno ploratu, et dixerunt «Ille qui recolligit philosophorum animas, tuam recolligat animam et reponat eam in thesauris suis sicut dignum est hominis animam directi felicis et perfecti sicut tu es». Explicit liber de pomo aristotilis. Incipit tractatus complexionum.

Then in red *Explicit liber de pomo Aristotilis*.

– ff. 188v–193v: ⟨? Jordanus Nemorarius⟩, *De complexionibus*.

This tract comments upon Galenus, *Peri kraseôn* in the Latin translation made by Burgundio of Pisa (d. 1194). The text is preceded by the title in red *Incipit tractatus complexionum*. In the top margin of 188v this tract is already announced in red *Tractatus complexionum*.

Inc: **Complexionum varietas sequitur varietatem** ⟨**suarum**⟩ **causarum**. Hec propositio non est in se, quia sub alia et alia constellatione alia et alia complexio et modus et color et figura disponitur. Et ideo sub calida constellatione generantur calida signa, nisi per antiparistesim dispositio cogetur, ut in septentrione sunt alamani, quorum complexio naturaliter est calida et ventres calidiores per contrariam pirversionem(!) et unionem coloris naturalis a frigore circumstante. Et ideo [189r] sicut est in dispositione loci in ordine ad locata, sic et in constellatione, quia in alio loco generantur alterius dispositionis animalia, ut in aqua animalia flecmatica. Et ideo omnes pisces sunt flecmatice complexionis, sicut se habent mulli ['red mullets'; mulieres(!) *Ms*] et propter loci dispositionem macre sunt. Sicut aves sunt sanguinea. Et in terra ⟨sunt⟩ melancolica, sicut talpa. Nec conturbet vos dictum aristotilis quod in puro elemento non est animal nec

generatur ex illo sed ex omnibus quatuor, quia hoc intelligitur quod ⟨non⟩ unum elementum predominatur(!) in animali.

Expl: Et quod hec vera sit patet, quia si fetus vel puer alicuius hominis fuit turpis vel melantus vel alterius male complexionis: si suxerit lac proprie matris, permanet eadem complexio et modus idem. Si vero detur nutrici pulcre et bene complexionate, convertetur ⟨complexio⟩ pulli in similem bonam complexionem nutricis, quia virtus lactis alterat naturalem complexionem ipsius pulli. Et hoc est verum, si sugitur [sumitur *Ms*] per temporis longitudinem. Et ideo pullus non semper sequitur phisonomiam patris et matris quando [quia *Ms*] alio sanguine permutante naturam nutriuntur. Si enim proprio sanguine matris nutrirentur et non varia constellatione sive locali differentia, haberent eundem modum matrum. Et ideo omnes saxones sunt unius moris et frisones et poloni et turingi, quia in eodem loco et ab una ⟨constellatione⟩. Sic ergo complexionum differentia et proprietas adpresens diffinitur. Que si adpresens alicui videtur diminuta, tamen per ea que dicta sunt multorum complexiones diligens inquisitor concipiet iudicando.

– ff. 194^{r}–217^{v}: *Questiones breves cum conclusionibus circa methaphisicam*.

This is an *abbreviatio* of Buridan's *questiones*-commentary on *Metaphysics*. In the top margin the title is found in red *Questiones breves methaphisice*, and on f. 217^{v}, lines 21–22 *Expliciunt questiones biridani cum conclusionibus circa methaphisicam. Et sic est finis methaphisice questionum cum conclusionibus Biridani*.

For a detailed analysis of this treatise see section 5 below.

– ff. 217^{v}–221^{v}: An anonymous summary of the ten books of Aristotle's *Metaphysics* that were in use at the Medieval universities. It was most likely used by students to prepare themselves for examinations. The colloquial grammar might suggest the summary could have been made by someone for personal use. Here is the text in full:

CIRCA methaphisicam PHILOSOPHUS tractat de ente et de passionibus que conveniunt enti absolute. Etergo ens est hic subiectum, quia non demonstrat aliquam passionem nisi quia conveniunt enti absolute, ut ens esse in potentia et in actu, vel quod sit alicui idem vel alicui diversum. Et procedit sic. Primo premittit necessaria pro introductione methaphisice. Et illa declaratio durat a primo libro usque ad duodecimum, quia in illis undecim(!) libris nisi [218^{r}] sunt quedam declarationes ad veram methaphisicam. Etergo nisi unum habemus, scilicet 12um librum, qui est de natura methaphisicorum, quia in illis undecim libris ponuntur aliquando phisicalia [philosophicalia! *M*] et alia.

Et in primo libro recitat opiniones antiquorum. Sed antequam pertractat de illis, premittit prohemium. Et primo ostendit quomodo in nobis cognitio generatur. Et dicit quod illo modo proceditur ex apprehensione sensitiva, quia tunc ex illa fit in nobis apprehensio intellectiva, et ex illa sepius reiterata fit memoria et ex multis memoriis experientia et deinde inductio. Et sic tunc in nobis generatur cognitio que est scientia. Quod ipse inducit sic. Assumit primo quod omnes homines natura scire desiderant. Probat per sensu⟨m visu⟩s, quia nos diligimus magis illum sensum, quia ipse ⟨est⟩ maxime utilis ad acquirendum scientias, quia visus multarum rerum differentias *etc*. Modo ponit propter hoc illam conclusionem ad exhortandum nos ad illam scientiam. Et ponit ordinem in cognitionibus, quia ex multis memoriis habemus experientias de rebus singularibus. Et tunc ex illis concludimus universalem veram, sicut illud 'Omne totum est maius sua parte'. Et ad illud concludendum quod omne totum est maius *etc*. modo non est conclusio. Tunc est principium, licet aliquando vocatur cognitio. Et non scimus sed intelligimus.

Tunc probat habitum methaphisicalem esse digniorem aliis. Probat quia est speculativa et nichil valet ad opera exteriora et de quanto aliqua scientia minus valet ad exteriora, de tanto nobilior et dignior. Sed sic est de methaphisica, quia minus deservit ad opera exteriora. Et probat hoc idem sic, quia ista scientia fuit ultimo inventa, quia prius invenirentur alia que magis valent ad usum humanum, et tunc illa fuit ultimo invenienda. Et probat etiam testimonio antiquorum qui dixerunt quod illa scientia esset solius Dei, quia unus dixit quod Deus ⟨ita⟩ invideret hominibus quod reservasset illum habitum et non tradidisset eum hominibus. Et iste fuit Symoniadus(!). Et tunc motivum illius reprobat quod esset ex invidia, hoc non est quod dicit et est dictum poeticum et poete mentiuntur.

Et in fine tractatus revertitur ad primum quomodo generatur in nobis cognitio et magis determinat in speciali. Et dicit quod cognitio sic certifica⟨ta⟩ fit in nobis quando per effectum possumus scire causas. Et quare dicit quod unus divinatur quando non habet causam, ut unus qui non est geometricus admiratur quod dyameter non sit commensurabilis coste, sed geometricus non admiratur. Sic et de eclipsi philosophi non mirantur et alii admirantur. Etergo admiratio est ex ignorantia. Et ex isto habemus intelligere ea in primo *Phisicorum* et in primo *Posteriorum* quia ⟨quando⟩ dicimus quod ex causis cognoscimus effectus, falsum est hoc, quia effectus semper scimus primo et postea causas. Sed vult quandocumque dicit quod ex causis devenimus in effectus, tunc primo cognoscimus perfecte effectus, habitis causis. Et non est verum quod prius causas cognoscimus quam effectus. Et tunc recitat opinionem antiquorum.

IN SECUNDO LIBRO methaphiSICE PRO INTELlectu materie methaphisicalis Philosophus probat statum in causis, scilicet quod in nullo genere causarum sit procedendum in infinitum. Et primo premittit unum quod valet ad introductionem ibi velud prius dictum est, quia recitabat idem de ordine cognitionis quia videtur ex alio. Et tunc quod perfecte scimus,

habitis causis. Modo ergo declarat quomodo cognitio veritatis est nobis possibilis. Et dicit quod cognitio veritatis est nobis aliquo modo facilis, aliquo modo difficilis. Probatur quia quantum ad cognitionem principiorum cognitio veritatis est nobis facilis, quia dicit «Quis [aliquis *M*] delinquit in foribus?» quasi diceret 'Qui vellet de istis principiis dubitare 'Omne totum est maius sua parte' et sic de aliis; 'De quolibet esse, vel non esse' etc.?' Etergo est facilis cognitio veritatis. Quantum ⟨autem⟩ ad principia, quasi [quia *Ms*] vult ⟨dicere⟩ «Quis delinquit etc.?» idest 'Quis errabit circa principia?'. Sed quod nobis aliqua cognitio est difficilis probat quia quantum ad cognitiones deducendas experientiis, tunc cognitio veritatis est difficilis, quia omnis error et falsitas provenit ex hoc quod non debite a principiis ad conclusiones procedimus. Etergo quantum ad conclusiones deducendas experientiis [219^{r}] est difficilis. Et hoc ponit hic pro intellectu illius quod prius dixit. Tunc probat conclusionem quod status fit in quolibet genere in causis efficientibus. Et sic devenitur ad primum efficiens, et sic de aliis. Et primo probat inquisitive quod non possunt esse infinite cause, quia si infinite, tunc nulla essent principia vel ordo. Et sic non esset ordo. Modo hoc est falsum, ut communiter videtur. Et postea probat inductive in omnibus singulariter, scilicet quod in nullo genere cause sit in infinitum procedendum.

IN TERTIO LIBRO methaphisice PHILOSOPHUS PROPONIT QUESTIOnes disputandas in metha-phisica, et nichil facit plus. Et aliquas solvit in 12 libris et valde paucas in septimo ita quod non habemus determinationem questionum, quia modicum habemus de methaphisica, scilicet 12um librum, quia primi sunt preparativi ad veram methaphisicam. Etergo disputat eas in aliis libris qui non venerunt ad nos, scilicet 13us, 14us et sic de aliis sequentibus. Liber quartus hic incipit.

IN QUARTO INQUIRIT QUID SIT SUBIECTUM methaphisice. Et probat in principio quod ens absolute inquantum ens est subiectum in methaphisica. Hoc probat quia aliqua est scientia de ente mobili, aliqua de ente tali vel tali, scilicet divisibili etc. Igitur oportet quod aliqua scientia sit de ente in communi absolute, quia naturalis de ente mobili, moralis de ente felicitabili et sic de aliis. Ergo oportet aliquam scientiam esse de ente. Et ista est methaphisica. Tunc declarat et dicit quod scientie distinguuntur per sua subiecta, sicut quilibet sensus est unius communis sensibilis. Igitur quelibet scientia est unius communis scibilis. Et quia sic, tunc oportet quod tot sunt scientie quot sunt communia scibilia. Et quia ens est genus scibile, igitur etc.

Tunc in eodem disputat contra antiquos negantes principia, quia aliqui dixerunt quod contradictoria essent simul vera et quod non 'De quolibet esse etc.'. Contra illos disputat non per aliqua necessaria, sed ex significatione terminorum, quia non facit argumentum ad probandum primum principium, sed bene facit argumentum ad ⟨re⟩probandum isti homini qui negavit. Et ducit eum ad unum inconveniens quod sibi adversario est manifestius inconveniens quam contradictorium primi principii, quia

non potest directe nec indirecte [219v] probare principium esse ⟨verum⟩. Sed facit ei argumentum et ducit eum ad maius inconveniens, quod sibi apparet maius inconveniens. Etergo dicit finaliter quod bene ore negabant ⟨quod⟩ secundum intellectum nullus potest negare. Etergo notitia primorum principiorum vocatur intellectus, quod(!) unus statim assentit.

IN QUINTO PONIT EQUIVOCATIONES TERMINORUM quibus utimur in methaphisica et in omnibus aliis scientiis, videlicet quot modis dicatur 'unum', 'substantia', 'ens per se', 'ens in potentia', 'actus', 'relatio', 'accidens', 'perfectum', 'imperfectum' et sic de multis.

Et omnes termini sunt bene usitati preter unum, scilicet 'calvum' [calbum *sic saepius Ms*], quia dicit quod ⟨ad hoc quod⟩ aliqua res dicitur calva, requiritur quod deficiat in aliqua parte presentiali, que pars tamen non differt specifice vel que non tollit specificam [*Ms*c specificatorum *Ms*] denominationem, ut calvi non dicuntur calvum, quia crines non tollunt denominationem specificam. Et sic de aliis. Sed calix carens auro [aure *Ms*] est calvum. Igitur etc.

IN SEXTO LIBRO CONTINUANDO PROHEMIUM ponit differentiam inter scientias speculativas et practicas. Et arguit quod ista hic sit speculativa quia prima. In secundo tetigit differentiam inter specificam etc. Et fuit quod diffiniret penes fines. Sed hic magis in speciali, quia dicit quod distinguuntur penes subiecta obiecta. Et dicit quod iste scientie dicuntur speculative que non sunt de operatis a nobis, ut vitellis(?) est de igne, et aliis que nos non possumus operari. Sed practica est de illis que a nobis possunt operari. Et debet intelligi quod ista scientia est speculativa que est de illis rebus non ea ratione qua possumus nos circa eas operari, quia licet scientia naturalis sit de aliquibus rebus que nos possumus operari, tamen non ea ratione est de illis rebus qua nos possumus circa talia operari.

Tunc dividitur speculativa. Et sunt tres, mathematica, naturalis et methaphisica, quia sunt de rebus tamquam obiectis non ea ratione qua sunt operabiles a nobis vel non ea ratione qua nos possumus operari circa eas vel circa illa obiecta, sed ⟨secundum⟩ [220r] quod sint consistentes a natura. Sed practica est per oppositum, ut medicina est bene de elementatis et lapidibus non ea ratione qua sunt consistentia a natura, sed ea ratione qua sunt operabilia a nobis vel prout possumus operari circa rem. Sic loyca est de argumentatione prout a nobis potest produci et comparari, scilicet facere argumentationem, vel circa eam.

Et ista differentia est principalis, dico quod differentia est penes obiecta. Et intelligitur de obiectis formalibus, non materialibus, quia methaphisica et naturalis considerant corpora et magnitudines, sed alia et alia ratione considerant, quia naturalis inquantum conveniunt eis numerationes etc. Et hoc tunc est obiectum formale vere naturalis. Etergo differunt penes obiecta formalia.

Sed alia est differentia que in secundo huius est tacta, ut speculativa est que ordinatur in scire et practica in opus. Et ista consurgit et sequitur

ex ista differentia, ita quod speculativa est cuius finis est scire. Et sic capitur ista differentia penes fines. Et sicut dixi, consurgit ex ista iam dicta.

IN SEPTIMO PHILOSOPHUS PRO INTELLECTU SEQUENTIUM tractat quibus entibus conveniant diffinitiones et quibus non. Et hoc est adhuc in prohemio. Et prohemium, ut dixi, ducit ad 12um. Erergo cum methaphisicus habet dare diffinitiones quiditativas, tunc distinguit de ente. Quod duplex est, scilicet per se, quod est substantia, et ⟨per⟩ accidens. Et dicit quod substantia est prior accidente diffinitione. Hoc declarat quia in diffinitione accidentium ponuntur termini substantiales; igitur substantia prior est accidente. Non est intelligendum quod nos scimus prius diffinitive substantias quam accidentia, quia omnis nostra cognitio surgit ex sensibus, et sic ex accidentibus. Sed loquitur absolute, quantum est de se quod substantia est prior accidente diffinitione, quia oportet semper in diffinitione accidentis venire substantiam, quia credidit quod accidentis non per se esset esse, vel utique non possumus diffinire accidens nisi ponendo substantiam. Ut 'Quid est simitas?', diffinitur per nasum. Secundo notitia: non etiam intelligitur quod prius haberemus notitiam substantie quam accidentis, quia accidens prius cognoscimus. Sed quod dicit Ariatotiles quod substantia est prior accidente, notitia: intelligit de redditione diffinitionis quiditative, ita quod substantia est et diffinitur quiditative, et accidens [220^{v}] non. Etiam tempore prior est. Hoc etiam non simpliciter verum est quod [quia *Ms*] caliditas precedit ignem in materia, quia accidentia disponunt. Sed absolute intelligitur quantum est de absoluta materia, tunc substantia est prior accidente.

Et tunc per totum determinat quod solius substantie est diffinitio quiditativa, quia diffinitur per puros terminos substantiales, sed accidentia non. Et intelligitur quia ipse credidit accidens non posse stare sine subiecto. Et tunc ex incidenti reprobat opinionem Platonem de ydeis. Et probat quod nullatenus est sicut Plato posuit.

IN OCTAVO DECLARAT QUOMODO MATERIA HABEAT se ad formam et ad compositum, et quomodo composita habent materias et formas, et quid sit materia [natura *Ms*]. Et totum habetur in secundo Phisicorum, nisi quod hic voluit habere materias et formas in uno volumine, ita quod prohemium esset completum, scilicet ad veram methaphisicam que est in 120.

IN NONO DISTINGUIT ENS IN ACTU ET potentia. Et potentia est duplex, scilicet alia activa, alia passiva. Potentia activa est potentia transmutandi alterum in alterum, idest una causa que potest facere transmutationem in aliam rem. Et potentia passiva econverso ⟨est⟩ principium transmutandi ab altero. Et tunc distinguit de potentiis. Sunt rationales et irrationales. Rationales possunt in opposita, irrationales non. Et intelligitur: dummodo cetera sunt paria, ita quod sufficienter sit applicata, breviter: impedimentis remotis, tunc agit. Sed ⟨de⟩ voluntate non est sic, quia potest in oppositum. Sed irrationalis est que est determinata

ad alteram partem contradictionis. Et si arguitur 'Frigiditas constringit et dissolvit, et caliditas', concedo; non ergo concluditur quod potest in oppositum, quia quando materia est disposita, tunc facit illud ad quod disposita est. Etergo respectu eiusdem materie eodem modo disposite non potest in oppositum. Sed potentia rationalis bene potest.

Tunc dicit quod actus et potentia sunt opposita, quia unum et idem respectu eiusdem non dicitur actus et potentia, sed bene respectu diversorum. Et ad istum intellectum dicit quod actus et potentia sunt opposita, et non ad alium.

IN DECIMO PHILOSOPHUS PERTRACTAT COMMUNEM [221r] passionem entium, scilicet contrarietatem, pro intellectu sequentium. Et declarat quid requiritur ad hoc quod aliqua dicuntur contraria. Et primo determinat quod mensura minor debet esse mensurato. Sed de contrariis ponit diffinitionem illam 'Contraria sunt que posita sunt sub eodem genere et maxime a se invicem distant, et non possunt simul eidem inesse, sed successive etc.'. Aliqui dicunt quod sit methaphisicalis, quia ponitur in methaphisica. Alii dicunt non, quia 'activum' et 'passivum' important motum et non sunt termini quiditativi. Dico quod est accidentalis, quia 'contrarium' iste terminus non potest diffiniri quiditative. Et non valet consequentia 'Hic ponitur; igitur ⟨ibi⟩'; nichil valet, quia etiam ponitur ibi.

Sensus versus [visus *Ms*] 'maxime etc.' Non est methaphisice dictum. Sed quare hic ponitur? In omni scientia tractatur de contrarietate. Etergo methaphisicus voluit ponere quid requireretur ad hoc quod aliqua essent contraria, quia iste terminus 'contrarium' non est absolutus sed connotativus, quia connotat posse agere et pati vel alio modo. Etergo contraria sunt sub eodem genere posita. De terminis ⟨requiritur⟩ quod sint termini ⟨accidentales⟩, ut 'caliditas', 'frigiditas' in Qualitate. 'Maxime', idest significant rationes que maxime etc. 'Et non possunt etc.' Hoc verum est quod sunt activa et passiva, sed de rebus diversis. Sunt contrarie 'sub eodem genere etc.', idest quod sunt significate per terminos qui ponuntur sub eodem genere. 'et maxime a se invicem etc.' non intelligitur de distantia locali sed de distantia graduali. Etergo proprie contraria non sunt alia nisi summa caliditas et summa frigiditas, quia iste distant maxime per omnes gradus, sed alia solum per aliquos. Et quod non conveniunt eidem etc. intelligitur realiter. Et ⟨quod⟩ sunt activa et passiva etiam intelligitur realiter, quod unum est activum et aliud passivum. Et ista diffinitio intelligitur de contrarietate propriissime dicta. Sed aliquando capiuntur contraria large, quod participant aliquam contradictionem vocabulorum contrariorum, ut sepius utimur.

IN UNDECIMO RESUMIT dicta in libris precedentibus et etiam in aliis libris Phisicorum. Et non solet legi.

IN DUODECIMO LIBRO, PREMISSO PROHEMIO, incipit tractare materiam methaphisicalem [221v]

⟨… [several lines are difficult to read] …⟩. Probat etiam quod omnia dependent ab eo in genere cause efficientis, licet aliqui dixerunt quod non

intelligeret in genere cause efficientis, sed processus maxime sonat ad hoc quod in genere cause efficientis. Tunc probat quod una est causa prima quia: Entia nolunt male disponi; modo perfectius est quod sit una causa quam plures; inde concludit unum esse principem. Et licet unum illud omnino est forte confusum, postea in aliis libris probat evidentius. Et sic concludit unum esse principem.

After two lines left blank another contemporaneous hand adds a survey of the contents of each of the twelve books of Aristotle's *Metaphysics*.

– **f. 221v**: ⟨*Argumentum*⟩ *Libri Methaphisice*

OMNES HOMINES. Incipit liber methaphisice. Cuius subiectum est ens. Et dividitur in duodecim libros partiales. Primus est de principiis entium secundum antiquos. Secundus de finitate entium. Tertius de communibus conditionibus entium. Quartus de primo principio complexo entium. Quintus de diffinitionibus omnium entium. Sextus de scientia entium. Septimus de singularitate et universalitate entium. Octavus de tempore entium. Nonus de actu et potentia entium. Decimus de uno et multitudine rerum. Undecimus de mutabilitate et immutabilitate entium. Duodecimus de primo principio incomplexo entium.

3. *The* Lectura Erfordiensis ***(LE)*** vis à vis *the* Lectura ultima ***(LU)***

The aim of this section is to investigate in which period of Buridan's career as an academic teacher the *Lectura Erfordiensis* should be placed. To that end we should start by comparing **LE** to **LU**, concentrating on their composition and on doctrinal (or methodological) differences.

To begin with, **LE** does not comprise all the questions occurring in **LU** which we dealt with in our first section. As a matter of fact, **LE** counts 36 questions and **LU** 37 concerning the first six Books on *Metaphysics*, on the understanding that some questions of **LE** are missing in **LU**, and the other way round. Again, we shall see that there are significant differences in **LE** and **LU** in the wording as well as in the arrangement of the questions and on account of some doctrinal, or at least methodological aspects. I first list the 36 questions of **LE**, numbering those of the first cluster with Roman numerals: Ia–VIIIa, and those of the second cluster: 1a–28a. The corresponding portions in **LU** will be added.[24]

Turning now to the eight questions of the first cluster, **LE** q. Ia (concerning Book I) runs Utrum methaphisica sit omnium habituum intel-

24. In the *Abbreviatio Caminensis* the arrangement of the questions on the first books of *Metaphysics* is remarkably similar to that found in **LE**, see section 5 below.

lectivorum habitus nobilissimus et dignissimus (capp. 3–28 of the present edition). It can be compared to **LU** Book I, q. 1 Utrum methaphisica sit omnium scientiarum dignissima et optima

LE q. IIa (concerning Book I) Utrum omnes homines naturaliter scire desiderant; edition capp. 29–46; cf. **LU** Book I, q. 5 Utrum omnes homines natura scire desiderant

LE q. IIIa (concerning Book I) Utrum maxime debeamus diligere sensum visus inter ceteros sensus; edition, capp. 47–63; **LU** Book I, q. 6 Utrum sensum visus inter ceteros sensus magis diligere debeamus

LE q. IVa (concerning Book I) Utrum ars et scientia fiant homini per experientiam; edition capp. 64–81; it is missing in **LU**

LE q. Va (concerning Book I) Utrum omnes actus et generationes sint circa singularia; edition, capp. 82–99; cf. **LU** Book I, q. 7 Utrum omnes actus et generationes sint circa singularia; vel in singulari numero potest formari questio Utrum omnis actus et omnis generatio sit circa singularia et non circa universale

LE q. VIa (concerning Book I) Utrum methaphisica sit omnium scientiarum certissima; edition, capp. 100–119; cf. **LU** Book I, q. 3 Utrum methaphisica sit omnium aliarum scientiarum certissima

LE q. VIIa (concerning Book II) Utrum de rebus sit nobis certa comprehensio veritatis; edition, capp. 120–164; cf. **LU** Book II, q. 1 Utrum de rebus sit nobis possibilis comprehensio veritatis

LE q. VIIIa (concerning Book II) Utrum nos possumus intelligere Primam Causam; edition, capp. 165–196; cf. **LU** Book II, q. 3 Utrum nos possimus cognoscere Primam Causam.

So far **LE** deals with these questions as serially connected, and accordingly numbers them qq. I–VIII, although they do not all belong to Book I of *Metaphysics*. This group of questions (capp. 3–197 of the present edition) is concluded by the plural *Expliciunt*, which again points to the fact that they form a separate collection.

Coming now to the second cluster of **LE**, it seems that the first question of this cluster must be missing, since our manuscript announces the opening question as *questio 2a*.

LE q. 2a (concerning Book II) Utrum ad methaphisicum spectat demonstrare statum in causis; edition, capp. 197–200; cf. **LU** Book II, q. 4 Utrum ad methaphisicum pertineat demonstrare Deum esse

LE q. 3a (concerning Book II) Utrum sit processus in infinitum in causis; our edition, capp. 201–219; cf. **LU** Book II, q. 5 Utrum sit processus in infinitum in causis.

Nota bene. Q1 as well as q. 2 suffer from a deficient text. See *p. XV above*.

LE q. 4a (concerning Book IV) Utrum ens sit proprium subiectum methaphisice; edition, capp. 220–246; cf. **LU** Book III, q. 5 Utrum methaphisice subiectum proprium sit ens

LE q. 5a (concerning Book IV) Utrum omnes habitus intellectuales sint adinvicem eiusdem speciei specialissime; edition, capp. 247–268; cf. **LU** Book IV, q. 1 Utrum omnes habitus intellectuales sint eiusdem speciei specialissime

LE q. 6a (concerning Book IV) Utrum methaphisica sit una scientia; edition, capp. 269–285; cf. **LU** Book IV, q. 3 Utrum methaphisica considerans de omnibus entibus sit una scientia

LE q. 7a (concerning Book IV) Utrum ens et unum sunt idem convertibiliter et essentialiter; edition, capp. 286–310; cf. **LU** Book IV, q. 7 Utrum isti termini 'ens' et 'unum' convertuntur quantum ad significationes eorum

LE q. 8a (concerning Book IV) Utrum in quolibet ente sit idem esse et essentia; edition, capp. 311–333; cf. **LU** Book IV, q. 8 Utrum in qualibet re sit idem esse et essentia

LE q. 9a (concerning Book IV) Utrum esse et essentia differunt secundum rationem; edition, capp. 334–348; cf. **LU** Book IV, q. 9 Utrum esse et essentia differant secundum rationem

LE q. 10a (concerning Book IV) Utrum possit esse unus conceptus communis substantiis et accidentibus; edition, capp. 349–381; cf. **LU** Book IV, q. 6 Utrum hoc nomen 'ens' significet substantias et accidentia secundum unam rationem sive secundum unum conceptum

LE q. 11a (concerning Book VII!) Utrum figura sit res figurata, vel figura differat a re figurata; edition, capp. 382–508. This question is missing in **LU**

LE q. 12a (concerning Book IV) Utrum negationes sunt entia; edition, capp. 509–529; cf. **LU** Book, q. 10 Utrum negationes sint entia

LE q. 13a (concerning Book IV) Utrum unum et multa opponuntur adinvicem; edition, capp. 530–547. This question is missing in **LU**

LE q, 14a (concerning Book IV) Utrum circa primum principium contingit errare; edition, capp. 548–568; cf. **LU** Book IV, q. 12 Utrum circa primum principium contingit errare

LE q. 15a (concerning Book IV) Utrum contradictio sit maxima oppositio; edition, capp. 569–582; cf. **LU** Book IV, q. 11 Utrum contradictio sit maxima oppositio

LE q. 16a (concerning Book IV) Utrum ista propositio sit primum principium complexum, scilicet 'idem inesse eidem et non inesse eidem est impossibile'; edition, capp. 583–613; cf. **LU** Book IV, q. 13 Utrum

ista propositio 'inesse et non inesse simul eidem et secundum idem (et sic de aliis circumstantiis) est impossibile' sit primum principium complexum

LE q. 17a (concerning Book IV) Utrum aliquod nomen significat infinita; edition, capp. 614–625. This question is not found in **LU**

LE q. 18a (concerning Book V) Utrum sint quatuor genera causarum et non plura; edition, capp. 626–646; cf. **LU** Book V, q. 1 Utrum sint quatuor genera causarum et non plura

LE q. 19a (concerning Book V) Utrum diffinitio elementi sit bona in qua dicitur quod elementum est ex quo componitur aliquid primo inexistente et indivisibili specie in aliam speciem; edition, capp. 647–660; cf. **LU** Book V, q. 3 Utrum diffinitio elementi sit bona in qua dicitur 'Elementum est ex quo aliquid componitur primo inexistente indivisibili specie in aliam speciem'

LE q. 20a (concerning Book VI!) Utrum continuum sit per se unum; edition, capp. 661–677. This question is missing in **LU**

LE q. 21a (concerning Book V) Utrum bene dividatur unum in unum numero et in unum specie et in unum genere et in unum analogia, et cum hoc Utrum bene describantur membra dicte divisionis; edition, capp. 678–698; cf. **LU** Book V, q. 4 Utrum unum bene dividatur in unum numero, unum specie, unum genere et unum analogia

LE q. 22a (concerning Book VI!) Utrum ens bene dividitur in ens secundum se et in ens secundum accidens; edition, capp. 699–714; It is missing in **LU**

LE q. 23a (concerning Book VI) Utrum propositio ex eo est impossibilis quod sua contradictoria de necessitate est vera; edition, capp. 715–730; cf. **LU** Book VI, q. 9 Utrum omnis propositio impossibilis ex eo sit impossibilis quia sua contradictoria est necessaria

LE q. 24a (concerning Book V!) Utrum relativa secundi modi pertineant ad predicamentum Ad aliquid, vel ad aliud predicamentum; edition, capp. 731–741; cf. **LU** Book V, q. 5 Utrum relativa secundi modi et tertii modi pertinent ad predicamentum de Ad aliquid

LE q. 25a (concerning Book V) Utrum relativa tertii modi referantur adinvicem uniformiter; edition, capp. 742–751; cf. the previous question in **LU**

LE q. 26a (concerning Book V) Utrum propinquitas vel distantia sit dispositio preter animam addita rebus propinquis vel distantibus sive differentibus a rebus propinquis vel distantibus; edition, capp. 752–765. It is missing in **LU**

LE q. 27a (concerning Book V) Utrum convenientie et diversitates rerum adinvicem sint res addite preter animam rebus convenientibus aut diversis; edition, capp. 766–782; cf. **LU** Book V, q. 6 Utrum convenientie

et diversitates rerum adinvicem sint res sive dispositiones addite rebus convenientibus vel diversis

LE q. 28a (concerning Book v) Utrum causalitates et dependentie effectuum ex causis suis sint res addite illis causis et istis effectibus; edition, capp. 783–808; cf. **LU** Book v, q. 8 Utrum causalitates sive effectuationes rerum adinvicem sint dispositiones addite rebus in illis causis et illis causatis.

Nota bene. It should be remembered that right after **LE** q, 28a, the copyist announces (39^{ra}, line 16) a 29th question ("29 sequitur").

4. *The list of the questions on* Metaph. VI–XII *as occurring in* ***LE cont***.

LE cont. proceeds with *Metaphysics*, Books VI–XII. This commentary appears to be of a considerably different nature than the one preceding it (our **LE**). In order to mark the differences from **LU**, I will now present the list of questions occurring in **LE cont**.

LE cont. VI, q. 1: Utrum phylosophia speculativa bene dividatur in physicam, mathematicam, methaphisicam (39^{ra}–40^{ra}) [= **LU** VI, q. 2]

LE cont. VI, q. 2: Utrum potest esse scientia de ente per accidens ($40^{ra–vb}$) [= **LU** VI, q. 3]

LE cont. VI, q. 3: Utrum ens per accidens habeat causam per se (40^{vb}–41^{vb}) [= **LU** VI, q. 4]

LE cont. VI, q. 4: Utrum omne futurum de necessitate eveniat (41^{vb}–44^{va}, where Buridan concludes with *Et nichil istorum dico assertive*) [= **LU** VI, q. 5, where he says *Et nichil eorum dico assertive. Sed expecto doctrinam aliorum superexcellentium*]

LE cont. VI, q. 5: Utrum ⟨omne⟩ verum vel falsum est secundum compositionem vel divisionem in mente (44^{va}–45^{va}) [= **LU** VI, q. 6]

LE cont. VI, q. 6: Utrum ad veritatem affirmative requiritur compositio in re significata sive in rebus significatis et ad veritatem ⟨negative⟩ requiritur divisio (45^{va}–46^{rb}) [= **LU** VI, q. 7]

LE cont. VI, q. 7: Utrum omnis propositio ex eo est vera quia qualitercumque significat, ita est in re ⟨significata⟩ vel in rebus significatis (46^{rb}–47^{ra}) [= **LU** VI, q. 8]

LE cont. VI, q. 8: Utrum omnis propositio ex eo sit impossibilis quia sua contradictio est vera (47^{ra}–48^{ra}) [= **LU** VI, q. 9]; cfr. **LE** q. 23a (above, p. 20)

LE cont. VI, q. 9 Utrum similiter dicendum est de causis veritatis et falsitatis in propositionibus ypoteticis sicut dictum est de kathegoricis, et

econverso similiter in istis de possibili sicut de istis de inesse, et etiam utrum similiter est dicendum de causis possibilitatis vel impossibilitatis, necessitatis vel contingentie sicut dictum est de causis veritatis vel falsitatis ($48^{ra–vb}$) [= **LU** VI, q. 10][25]

LE cont. VI, q. 10: Utrum eadem propositio potest simul esse vera et falsa sine equivocatione (48^{vb}–50^{rb}) [= **LU** VI, q. 11]

LE cont. VI, q. 11: Utrum ens secundum accidens et ens ut verum debeant abici a consideratione methaphisici (50^{rb}–51^{ra}) [= **LU** VI, q. 12]

LE cont. VII, q. 1: Utrum substantia sit prior accidente ratione, idest diffinitione, et natura et tempore ($51^{ra–vb}$) [= **LU** VII, q. 1]

LE cont. VII, q. 2: Utrum forma sit prior et magis ens vel etiam magis substantia quam materia et compositum (51^{va}–52^{va}) [= **LU** VII, q. 2]

LE cont. VII, q. 3: Utrum in dictis secundum accidens sit idem *ipsum* [istum *Ms*] et *esse ipsum* (52^{va}–53^{va}) [= **LU** VII, q. 3]

LE cont. VII, q. 4: Utrum in dictis secundum se sit idem *ipsum* et *esse ipsum* (53^{va}–54^{va}) [= **LU** VII, q. 4]

LE cont. VII, q. 5: Utrum accidentis possit esse diffinitio (54^{va}–55^{ra}) [= **LU** VII, q. 5]

25. The final words of this question provide a possible clue for dating this version. On f. 48^{va} is read: "Unde illa est bona consequentia *ut nunc* 'Rex Anglie est Avinione [this name is continually mangled in various ways by our copyist]; ergo inimicus regis Francie est Avinione'. Unde ad bonam consequentiam *ut nunc* sufficit quod possit [posset **LU**] fieri formalis per additionem unius vere, quantumcumque contingentis. Et sic esse⟨t⟩ in proposito, quia ⟨si⟩ addamus illam propositionem 'Omnis rex Anglie est inimicus regis Francie; et rex Anglie est in Avinione', sequitur conclusio gratia forme, scilicet ⟨si⟩ premisse transponantur vel in concludendo indirecte. Et sic illa propositio conditionalis quantum ad consequentiam *ut nunc* 'si rex Anglie est in Avenione, ⟨'inimicus⟩ regis Francie est in Avenione'. Et tamen illa non est formaliter [*add*. **LU**] necessaria, ymo erit falsa [48^{vb}] infra breve tempus [**LU** et sic **LE cont**.] si pax sit facta". This most likely is an allusion to the political situation in the last quarter of 1342, when the Pope's special envoys, the Cardinals of Clermont and Preneste succeeded in persuading both belligerent sides (King Edward of England and King Philip of France) to consent in sending representatives to argue the political controverse before Pope Clement VI in Avignon as mediator. However, the two kings themselves never once bothered to show up *in persona* (as they were not at any other date either), and the mission failed to bring about a final decision, let alone "peace before the following Christmas", as was intended by the two cardinals. [For this political situation see JAMES MACKINNON, *The History of Edward the Third (1327–1377)*, Ipswich 1901, 230–239]. All the same, the serious attempt thereto may have led people in Paris to expect a happy outcome *infra breve tempus*. – Of course, this passage can only be regarded as a clue for dating Buridan's insertion of this example. Its occurrence in both **LE cont**. and (the various versions of) **LU** excludes any date of these versions before the end of 1342. It would be interesting to look for this example in earlier versions, namely the one found in Paris BNLat 16131 and those discovered by FLÜELER (1997) in a Darmstadt manuscript (see below, section 6.32).

LE cont. VII, q. 6: Utrum terminus accidentalis debeat diffiniri per suum subiectum (55ra–56ra) [= **LU** VII. q. 6]

LE cont. VII, q. 7: Utrum materia fit vel forma fit vel compositum fit (56$^{ra–va}$) [= **LU** VII, q. 7]

LE cont. VII, q. 8: Utrum omne quod fit fiat ab agente sibi simili (56va–57ra. *Expl.* … uno tamen primo agente, quod est Deus, ut dicebatur.) [= **LU** VII, q. 8. *Expl.* … uno tamen primo agente, quod est Deus, sicut prius videbatur. Sic ergo contra ista dicta non procedunt rationes]

LE cont. VII, q. 9: Utrum propter generationem substantiarum sensibilium necesse est ponere substantias separatas (57$^{ra–vb}$) [= **LU** VII, q. 9]

LE cont. VII, q. 10: Utrum in diffinitione totius debeant poni partes sue materiales (57^{vb}–58va) [= **LU** VII, q. 10]

LE cont. VII, q. 11: Utrum in diffinitione totius debent poni partes eius formales (58^{vb}–59^{rb}) [= **LU** VII, q. 11]

LE cont. VII, q. 12: Utrum forma substantie materialis sit tota quiditas eius (59$^{ra–va}$), where the text breaks off right after the opening lines of the solution to the main question: Ista questio apparet michi satis facilis et auctoritates que adducte fuerunt. Next the two remaining lines of 59va, as well as the complete column 59^{vb} and 12 lines of 60ra are left blank. [= **LU** VII, q. 12, the text of which is complete]. No doubt, the copyist left room for supplying the question.

LE cont. VII, q. 13: Utrum nomina que sunt genera et differentie vel species significant formam tantum vel compositum ex materia et forma simul (60$^{ra–va}$) [= **LU** VII, q. 13]

LE cont. VII, q. 14: Utrum in eodem supposito, scilicet in Sorte vel in Platone, oportet esse plures formas substantiales, scilicet correspondentes pluribus predicatis quiditativis subordinatis (60va–62^{rb}) [= **LU** VII, q. 14]

Coming now to the two versions found in our Erfurt manuscript *Amplon*. F 322, viz. **LE** and **LE cont**., one has good reason to associate **LE cont**. with **LU**. Until more research has been done we are in no position to identify it as a different redaction or only a different copy of the latter, let alone to determine its relative position to the other collections discussed above. The *Lectura Erfordiensis* (**LE**), however, cannot be but an earlier collection (consisting of two rather badly organized clusters), which shows some considerable doctrinal differences from **LU**, particularly on account of Buridan's attitude towards Aristotle.[66] However, its relationship to the other versions needs quite a lot of further research.

6.4. *Comparing the* Abbreviatio Caminensis *(**AC**) to the Composite of **LE** and **LE cont**.*

As was already remarked earlier, the abbreviation of Buridan's questions on *Metaphysics* I–XII extant in our Warsaw manuscript (our **AC**), faithfully follows the list of questions occurring in **LE** and **LE cont**., respectively, including their alternative wordings in **LE**, with the only exception of **LE** q. 11a, which is missing in **AC**.[67] The fact that a number of scribal errors

65. See WEIJERS (1987), 300–301; TEEUWEN (2003), 295–296.
66. See our sections 6.1 and 6.2 above.
67. The only (possible) exception might be found in **AC**, cap. 201 (dealing with the question whether there are epicycles in celestial bodies) where the solution to the question seems to be different from what Buridan says in **LU** XII, q. 10 (Carpentras 292, f. 114$^{rb–va}$ = printed edition, Fol. LXXIII rb-va).

of **LE** and **LE cont**. are not found in **AC** is an additional sign that the copyist of our copy of **AC** did not have our Erfurt manuscript of **LE** and **LE cont**. at his elbow.

7. *The Present Edition of* Lectura Erfordiensis *and* Abbreviatio Caminensis

Both editions aim to present a reliable text of these two works, each of which seems to have been handed down in only one manuscript. In both editions all headings are added by the editor, only for the sake of clarity.

Throughout I have taken the liberty to correct apparent misreadings and omissions, e.g. in the *Abbreviatio Caminensis* I have added the verb 'est' where its absence is more or less confusing. In the *apparatus criticus* only major deviations from the manuscripts will be reported. Of course, insignificant variants, such as 'ergo'/'igitur', 'vel'/'aut' (when interchangeable), 'iste'/'ille' are not mentioned, let alone simple misreadings that are obviously the result of the scribe's negligence.

7.1. *The* Lectura Erfordiensis *(**LE**)*

Our copy was written by a rather negligent scribe. Not only the letters *c* and *t* are indiscernible (even in words such as *tempus, sic* and *sit*), but the careless shapes of *o* and *a* makes the distinction between masculine and feminine endings unclear. The *manus corrigens* (*Ec*) has been rather active, but most of the time in trivial cases. Most of these corrections are not recorded. Only three times *Ec* corrects an omission made by haplography. More extensive supplements are made (and recorded) by the editor on the basis of parallellous passages of **LU**.

Remarkable mistakes (scribal errors?) concern the frequent use of *dicens* instead of *dicentis*, *dicentem* after an oblique case of Aristotle's or the Commentator's names (probably as a result of the scribe's carelessly dealing with the usual abbreviation 'd.'). Furthermore, the frequent misreading *ad* for *aliud*, *aliquid*, *aliquod* etc. and of *id* for *illud* or *idem*; the frequent confusion between *sic* and *sit*, *cum* and *tamen*, *enim*, *autem* and *etiam*, *quod* and *quia*, and also of *intendere* and *intelligere*, which is not unusual in such texts, so that an indiscriminate use of these terms in the fourteenth century should not be excluded. Even key terms such as *distinctio* and *divisio*, *motus* and *modus, cause* and *esse, omne* and *esse* and the like are frequently confused. Likewise the numerals in references to other books are often wrong.

7.2. *The* Abbreviatio Caminensis *(**AC**)*

The unique manuscript Warsow, *Bibl. Narodowa* II 8057 (formerly Stettin, Bibliothek des Marienstiftgymnasiums, codex Caminensis 38) is a reasonably good source. None the less, this treatise is likely to have been written rather hastily from its exemplar. Only three times the division into the corresponding Books of *Metaphysics* is indicated, once before cap. 19 (reference to Book II), another to Book V, after cap. 56, and at the end of cap. 79, whereas before the cluster of questions on Books VI–XII begins, the full title is found QUESTIONES ET CONCLUSIONES SEXTI LIBRI METHAPHISICE. At fol. 211^{v}, a complete question was omitted, but it was supplied by the same scribe after the final question concerning Book IX.

The verb 'est' is frequently lacking where its omission may well cause some confusion. The abbreviations for 'probatur' and 'patet' seem to be used indiscriminately. The word 'prenotando', which is frequently used in a standard formula, sometimes occurs where the reading 'ponendo' is required. The *manus corrigens* (*Cc*) is seldom active, but sometimes its interference is important, e.g. in deleting 'esse' in cap. 75, whereas it fails to do so at cap. 16, where maintaining 'esse' causes some real confusion (reading 'intelligere *esse* Primam Causam' instead of 'intelligere Primam Causam'). The abbreviations of the conjunctions 'quod' and 'quia' are frequently confused, as is the case with 'aliud', 'aliquid' and 'ad'. Like in the Erfurt manuscript, it is more than once impossible to distinguish between the letters 'c' and 't', even in words in which they are not orthographically interchangeable.

Bibliography

This list is only meant to facilitate reference

Bakker, P.J.J.M. & E. Faye & C. Grellard, (eds.) (2002), *Chemins de la pensée médiévale. Études offertes à Zénon Kaluza*. Fédération Internationale des Instituts d'Études Médiévales. *Textes et Études du Moyen Age*, 20. Brepols Turnhout 2002

Beckmann, J.P., (1985), in R. Auty *et al.* (eds.), *Lexikon des Mittelalters*, vol. 6

Caroti, S. & Grellard, C., (eds.), *Nicolas d'Autrécourt et la Faculté des arts de Paris (1317–1340)*. Actes du colloque de Paris 19–21 mai 2005. Cesena 2006

Ebbesen, Sten, (1984), "Proof and Limits According to Buridan" in Zénon Kaluza & Paul Vignaux (eds.), Preuve et raisons à l'Université de Paris. Logique, ontologie et théologie au xive siècle. Paris 1984, 97–110

——, & Russell Friedman, (eds.) (1999), *Medieval Analyses in Language and Cognition*. Acts of the symposium *The Copenhagen School of Medieval Philiosophy*, January 10–13, 1996

Flüeler, Christoph, "Two Manuscripts of Buridan on the *Metaphysics*: Paris bnlat 16131 and Darmstadt, Hessische La&HB, Hs 516" in *Cahiers de l'Institut du moyen-âge grec et latin* 67 (Copenhagen 1997), 78–92

——, "From Oral Lecture to Written Commentaries: John Buridan's Commentaries on Aristotle's *Metaphysics*" in Ebbesen & Friedman, 497–521

Grellard, Christophe, (2002), "Amour de soi, amour du prochain. Nicolas d'Autrécourt, Jean Buridan et l'idée d'une morale laïque (autour de l'article condamné no. 66)" in Bakker *et al.*

——, (2006), "Nicolas Drukken de Dacie, entre Autrécourt et Buridan. Logique et théorie de la connaisance à la fin des années 1330" in Caroti & Grellard, 153–174

Holtz, Louis, see s.n. *Weijers*

Lemcke, H., *Die Handschriften und alten Drucke der Bibliothek des Marienstift-Gymnasiums*. Programm Stettin 1879

Michael, Bernd, *Johannes Buridan, Studien zu seinem Leben, seinen Werken und zur Rezeption seiner Theorien im Europa des späten Mittelalters*. Inaugural-Dissertation … der Freien Universität Berlin. Berlin 1985

Rijk, L.M. de, (1981), "Abailard's Semantic Views in the Light of Later Developments" in H.A.G. Braakhuis, C.H. Kneepkens, L.M. de Rijk (eds.), *English Logic and Semantics* from the end of the twelfth century to the time of Ockham and Burleigh. artistarium. *Supplementa* i, 1–58

——, (1994a), "John Buridan on Man's Capability of Grasping the Truth" in Andreas Speer (ed.), Scientia *und* Ars *im Hoch- und Spätmittelalter. Miscel-*

lanea Mediaevalia. Veröffentlichungen des Thomas-Instituts der Universität zu Köln. Band 22 (Walter de Gruyter Berlin-New York 1994), 281–303

——, (1994b), *Jean Buridan (c. 1292–c. 1360), Eerbiedig ondermijner van het aristotelisch substantie-denken*. Koninklijke Akademie van Wetenschappen. Nieuwe Reeks, deel 57 no. 1. Amsterdam etc. 1994

——, (1997a), "The Commentaries on Aristotle's *Metaphysics*" in Weijers & Holtz (1997), 303–312

——, (1997b), Giraldus Odonis O.F.M., OPERA PHILOSOPHICA. Vol. I *Logica*. Critical Edition from the Manuscripts. *Studien und Texte zur Geistesgeschichte des Mittelalters*. Band LX (ed. Jan Aertsen). Brill Leiden 1997

——, (1997c), "Foi chrétienne et savoir humain. La lutte de Buridan contre les theologizantes" in Alain de Libera *et al.* (eds.), Langages et philosophie. Hommage à Jean Jolivet. (Paris Vrin 1997), 393–409

——, (2001), Johannes Buridanus, *Summulae*. Vol. 8: *De demonstrationibus*. Introduction, Critical edition and Indexes. ARTISTARIUM 10–8. Groningen-Haren 2001. Brepols Turnhout

——, (2002), *Aristotle. Semantics and Ontology*. Vol. I: *General Introduction. The Works on Logic*; Vol. II: *The* Metaphysics. *Semantics in Aristotle's Strategy of Argument* in: PHILOSOPHIA ANTIQUA. *A Series of Studies on Ancient Philosophy*. Volume XCI/II Brill Leiden 2002

——, (2005), Giraldus Odonis O.F.M., OPERA PHILOSOPHICA. Vol. II: *De intentionibus*. Critical Edition with a Study on the Medieval Intentionality Debate up to ca. 1350. *Studien und Texte zur Geistesgeschichte des Mittelalters* Band LXXXVI (ed. Andreas Speer). Brill Leiden

SCHUM, W., *Beschreibendes Verzeichmis der Amplonianischen Handschriften-Sammlung zu Erfurt*. Berlin 1887

TEEUWEN, MARIKEN, *The Vocabulary of Intellectual Life in the Middle Ages*. CIVICIMA. Etudes sur le vocabulaire intellectuel du moyen âge X. Brepols Turnhout 2003

WEIJERS, OLGA, (1987), *Terminologie des universités au XIIIe siècle*. Lessico Intellettuale Europeo XXXIX. Rome 1987

——, (2001), *Le travail intellectuel à la Faculté des arts de Paris: textes et maîtres (ca. 1200–1500)* IV *Répertoire des noms commençant par H et J (jusqu' à Johannes C.)* in STUDIA ARTISTARUM 9. Études sur la Faculté des arts dans les Universités médiévales. Brepols Turnhout 2001

——, & LOUIS HOLTZ, (eds.), *L'enseignement des disciplines à la Faculté des arts (Paris et Oxford, XIIIe–XVe siècles)*. STUDIA ARTISTARUM 4. Études sur la Faculté des arts dans les Universités médiévales. *Actes du colloque international* organisé à l'Institut de France, Paris, 18–20 mai 1997. Brepols Turnhout 1997

ZUPKO, JACK, (2003), *John Buridan. Portrait of a Fourtheenth-Century Arts Master*. University of Notre Dame Press. Notre Dame Indiana 2003.

——, (2006), "Buridan and Autrecourt: A Reappraisal" in Caroti & Grellard (2006), 175–193.

List of Manuscripts

Admont, Stiftsbibliothek *cod.* 485: xxix
Carpentras, Bibliothèque Inguimbertine *cod.* 292 (L 288): xiv–xix; xlvi, n. 27; liv; lxxi, n. 67
Darmstadt, Hessische Landes- und Hochschulbibliothek *cod.* 516: xliv, n. 25; lxxv; lxxv, n. 52; lxxix ff.; lxxix, n. 61; lxxx, n. 64
Erfurt, Allgemeinbibliothek *cod. Amplon.* F 315: xiii; *cod. Amplon.* F 322: xiii–xxii; lii ff.; lxxxi ff.
Kamin, Kapitelbibliothek *cod.* 38; xxii
Lilienfeld, Stiftsbibliothek *cod.* 144: xxxi
Munich, Bayerische Staatsbibliothek *Clm.* 6942: xxx
Paris, Bibliothèque Nationale *BNlat.* 14.716: xiv, n. 17; *BNlat.* 16.131: xliv, n. 25; lxxv–lxxix; lxxx, n. 64
Stettin, Marienstiftsgymnasium cod. 38: xxii; lxxxiii
Vatican City, Bibliotheca Apostolica Vaticana *Vat. Lat.* 11.436: xxvii
Vienna, Österreichische Nationalbibliothek *vpl* 4784: xxii; *vpl* 5159: xxii
Warsow, Biblioteka Narodowa *cod.* ii 8057: xxii; xlviii ff.; lxxxiii

Onomastic Index

Abailard, lv, n. 32
Albert the Great, lx, n. 37
Amplonius Rattinck de Berka, xiii
Arras, xi; xi, n. 4
Atrecht, xi; xi, n. 4
Aristotle, passim
Audomarensis, xi
Avignon, xliv, n. 25
Averroes, xxiv; lv
Avicenna, xxviii
Avincebrol (Ibn Gebirol), xxx f.

Badius, Johannes, xiv, n. 17; xlvi, n. 27; lxxv; lxxx, n. 64
Bäumker, Clemens, xxxi
Bardenhewer, Otto, xxv
Beckmann, J.P., xii, n. 6
Bethune, xi
Boethius, A.M.S., xxvii; xxix
Boetius of Dacia, xxix
Bugslaf, xxiii
Burgundio of Pisa, xxxii
Burgundy, xi, n. 4
Buridan, John, passim

Clement vi, Pope, xliv, n. 25
Clermont, xliv, n. 25
Correns, P., xxx

Dominicus Gundisalvi, xxx f.

Ebbesen, Sten, lxxiii, n. 49
Edward iii, King of England, xliv, n. 25
Erfurt, xiii–xxii; xxxix ff.; lxxxii
Eugenius iv, Pope, xxviii

Flanders, xi; xi, n. 4
Flüeler, Christoph, xii, 8–9; 13; xiii, n. 14; xliv, n. 25; lxxiv; lxxiv, n. 51; lxv, n. 52; lxxiv, nn. 61–63
Fredericus Imperator, xxxi
Fürstenfeld, xxx

Galenus, xxxii
Georrius Bandemer, xxiii
Girald Odonis, lxii ff.; nn. 40; 42–43
Grabmann, Martin, xxix

Henricus Johannis de Dandrediche, lxxix; lxxix, nn. 62–63
Hermannus de Heyda, xxiii; xxviii

Jacobus Stymeken, xxiii
Johannes Hispanus, xxxi
Jordanus Nemorarius, xxxii

Kamien (Kammin), xxii f.
Kasimir D.D. Rügenwalde, xxiii

Lemcke, Hugo, xxiii, n. 20
Lilienfeld, xxxi

Mackinnon, James, xliv, n. 25
Manfred, King of Sicily, xxxi
Maximilian of Austria, xi, n. 4
Michael, Berndt, xi, nn. 2; 5; xiii, n. 14; XIV, n. 15; lxxiv f.; lxxviii

Nicholas of Autrecourt, lv, n. 32

Pattin, Adriaan, xxv f.; xxv, n. 22
Peter Abailard, lv, n. 32
Peter Auriol, lv, n. 32
Petrus Garyn, xxiii f.

Philip vi, King of France, xliv, n. 25
Plato, liii; lxx
Preneste, xliv, n. 25
Proclus, xxvii f.

Robert of Lincoln, lv f.
Roger Bacon, xii
Rouse, M.A., lxxix, n. 62
Rouse, R.H., lxxix, n. 62
Rustenburg, Johannes, xi, n. 3

Saint-Omer, xi; xi, n. 3
Saint-Pol-sur-Ternoise, xi
Schum, W., xiii, n. 14
Seine, xvi
Sint Omaars, xi; xi, n. 3
Sorbonne, xi, lxxv
Stettin, xxiii
Szczecin, xxiii

Taylor, Richard C., xxiv, n. 21
Teeuwen, Mariken, xiii, n. 10; xxii, n. 19; lxxv, n. 53; lxxxi, n. 65
Thomas Aquinas, xxiv; xxviii; lv; lxiii, n. 41

Vansteenkiste, C., xxvii, n. 23
Vuillemin-Diem, G., lxii, n. 39

Wedego de Ramin, xxiii
Weijers, Olga, xiii, n. 10; xxii, n. 19; lxxv, n. 53; lxxxi, n. 65
William of Moerbeke, xxvii; lxii, n. 39

Zupko, Jack, xii; xii, n. 7; lvii, n. 34; lix, n. 36.

PART TWO

TEXT

BURIDANI LECTURA ERFORDIENSIS IN ARISTOTELIS METAPHYSICAM I–VI.

ARGUMENTUM

PROEMIUM

QUESTIO Ia: Utrum methaphisica sit omnium habituum intellectivorum habitus nobilissimus et dignissimus 3–28
Solvitur questio 11–17
Ad rationes 18–28

QUESTIO IIa: Utrum homines naturaliter scire desiderant 29–46
Solvitur questio 37–38
De prima conclusione 39–40
De secunda conclusione et tertia 41
Ad rationes 42–46

QUESTIO IIIa: Utrum maxime debeamus diligere sensum visus inter ceteros sensus 47–63
De duplici questione 53–58
Solvitur questio 59
Ad rationes 60–63

QUESTIO IVa: Utrum ars et scientia fiant homini per experientiam 64–81
Solvitur questio 70–76
De duplici arte 77
Ad rationes 78–81

QUESTIO Va: Utrum omnes actus et generationes sint circa singularia 82–99
De tribus conclusionibus preliminaribus 88–93
De tribus conclusionibus 94–96
Solvitur questio 97–99

QUESTIO VIa: Utrum methaphisica sit omnium scientiarum certissima 100–119
Solvitur questio 107–113
Ad rationes 114–119

QUESTIO VIIa: Utrum de rebus sit nobis certa comprehensio veritatis 120–164
Solvitur questio 141
De firmitate veritatis et firmitate assensus 142–147
De comprehensione veritatis 148
Ad rationes 149–164

QUESTIO VIIIa: Utrum nos possumus intelligere Primam Causam 165–197
Solvitur questio 173–178
De quadam dubitatione 179–183
De notitia quiditativa Dei 184–186
Ad rationes beati Thome 187–190
Ad rationes principales 191–197

QUESTIO 2a: Utrum ad methaphisicum spectat demonstrare statum in causis 198–201
Solvitur questio 200–201

QUESTIO 3a: Utrum sit processus in infinitum in causis 202–220
De quibusdam distinctionibus et conclusionibus 205–207
De duabus aliis conclusionibus 208–209
Solvitur questio 210–214
Ad rationes 215–220

QUESTIO 4a: Utrum ens sit proprium subiectum methaphisice 221–247
Solvitur questio 233–235
De quibusdam notabilibus 233–235
De quibusdam dubiis 236–241
Ad rationes principales 242–247

QUESTIO 5a: Utrum omnes habitus intellectuales sint adinvicem eiusdem speciei 248–269
Solvitur questio 258
De quibusdam conclusionibus 259–262
Ad rationes in oppositum 263–269

QUESTIO 6a: Utrum methaphisica sit una scientia 270–286
Solvitur questio 277–281
Ad rationes 282–286

QUESTIO 7a: Utrum ens et unum sunt idem convertibiliter et essentialiter 287–311
Solvitur questio 296–298
De convertibilitate istorum terminorum et essentialitate 299–302
De propria intentione Aristotilis 303–304
Ad rationes 305–311

QUESTIO 8a: Utrum in quolibet ente est idem esse et essentia 312–335
Solvitur questio 322–327
Ad rationes 328–335

QUESTIO 9a: Utrum esse et essentia differunt secundum rationem 336–350
Solvitur questio 341–342
De quinque propositionibus concedendis 341–342
De quibusdam opinionibus de rationibus 'esse' et 'essentia' 343–350

QUESTIO 10a: Utrum possit esse unus conceptus communis substantiis et accidentibus 351–383
Solvitur questio 365–367
Respondetur ad questionem secundum intentionem Aristotilis 368–371
Dubitatur 372–373
De opinione secundum fidem tenenda 374–375
Ad rationes secundum intentionem Aristotilis 376–378
Ad rationes in principio datas 379–383

QUESTIO 11a: Utrum figura sit res figurata, vel figura differat a re figurata 384–409
Solvitur questio 398–400
Ad rationes 401–409

QUESTIO 12a: Utrum negationes sint entia 410–430
Solvitur questio 419–425
Ad rationes 426–430

QUESTIO 13a: Utrum unum et multa opponuntur adinvicem 431–448
Solvitur questio 436–440
Ad rationes 441–448

QUESTIO 14a: Utrum circa primum principium contingit errare 449–469
Solvitur questio 458–459
Contra istam rationem obicitur 460–461
Ad rationes in contrarium 462–463
Ad rationes in oppositum 464–469

QUESTIO 15a: Utrum contradictio sit maxima oppositio 470–484
Arguitur quod non 470–474
Arguitur quod sic 475–478
Solvitur questio
De quibusdam conclusionibus 479–484
Quod contradictio est communissima oppositio 479
Quod contradictio est simplicissima oppositio 480
Quod contradictio est prima oppositio 481
Quod contradictio non est repugnantissima 482
Quod contradictio est evidentissima oppositio 483
Quod uno modo contrarietas sit evidentior, alio modo contradictio 484

QUESTIO 16a: Utrum ista propositio sit primum principium complexum, scilicet idem simul inesse eidem et non inesse eidem est impossibile 485–515
Respondetur diversimode ad questionem
De primitate secundum simplicitatem 495
Dubitatur 496–497
Solvitur questio secundum simplicitatem et evidentiam 498
De principio ypotetico 499–500
De principio negativo 501–505
De quibusdam comparationibus 506–512
De primo principio sicut ab Aristotile ponitur 513–514
Ad rationes 515

QUESTIO 17a: Utrum aliquod nomen significat infinita 516–527
Solvitur questio 521–525
De ordine terminorum in propositione 526
Ad rationes 527

QUESTIO 18a: Utrum sint quatuor genera causarum et non plura 528–548
De causa materiali 529–530
De causa formali 531
De causa efficienti 532
De causa finali 533
Quod non sint quatuor genera causarum 534

Solvitur questio 536–540
Ad rationes 541–548

QUESTIO 19a: Utrum diffinitio elementi sit bona 549–562
Solvitur questio 553–558
Ad rationes 559–562

QUESTIO 20a: Utrum continuum sit per se unum 563–579
Solvitur questio 568–571
De duplici continuitate 572–576
Ad rationes 577–579

QUESTIO 21a: Utrum bene dividatur unum in unum numero et in unum specie et in unum genere et in unum analogia, et cum hoc Utrum bene describat Aristotiles membra dicte divisionis 580–600
Solvitur questio 588–589
Ad rationes circa descriptiones allatas factas 590–595
Ad rationes contra divisionem 'unius' factas 596–600

QUESTIO 22a: Utrum ens bene dividitur in ens secundum se et in ens secundum accidens 601–616
Solvitur questio 606–611
Ad rationes 612–616

QUESTIO 23a: Utrum propositio ex eo est impossibilis quod sua contraria de necessitate est vera 617–632
De quatuor conclusionibus ad retinendum dicta communia ponendis 621–625
Solvitur questio 626–631
Ad rationes 632

QUESTIO 24a: Utrum relativa secundi modi pertineant ad predicamentum Ad aliquid, vel ad aliud predicamentum 633–643
Solvitur questio 639–643

QUESTIO 25a: Utrum relativa tertii modi referantur adinvicem uniformiter 644–653
Solvitur questio 647–652
Ad rationes 653

QUESTIO 26a: Utrum propinquitas vel distantia sit dispositio preter animam addita rebus propinquis vel distantibus sive differentibus a rebus propinquis vel distantibus 654–667
Solvitur questio 661–667

QUESTIO 27a: Utrum convenientie et diversitates rerum adinvicem sint res addite preter animam rebus convenientibus aut diversis 668–684
Solvitur questio 674–680
Ad rationes 681–684

QUESTIO 28a: Utrum causalitates et dependentie effectuum ex causis suis sint res addite illis causis et istis effectibus 685–710
Solvitur questio 691–693
De quadam difficultate circa radium solis 694–695
De quadam difficultate circa materiam ac formam et substantiam atque accidens 696–698
De quadam difficultate circa unionem partium per continuitatem 699–706
De quadam solutione alternativa 707–708
Ad rationes principales 709–710.

SIGLA

E	= codex Erfordiensis Amplonianus F 322, saec. XIV ex.
Ec	= manus quae correxit *E*
LU	= *Lectura ultima*
]	scripsi
…	usque ad
⟨…⟩	supplevi
[…]	seclusi
?	fortasse
++ … ++	textus corruptus esse videtur
add.	addit
om.	omittit
coni.	conieci (coniciendo)
coll.	collato (collata)

PROEMIUM

1 Recommendatio sic incipit: Sapientia est intellectus et scientia et tamquam caput habens scientiam honorabilissimorum, sexto *Ethicorum*.[1] E1ra
Sciendum, ut apparet in processu, et quarto *Metaphisice*,[2] quod Aristotiles semper per 'sapientiam' intelligit methaphisicam. Et certum est quod methaphisica merito dicitur 'intellectus', quia intellectus est habitus primorum principiorum, ut patet sexto *Ethicorum*.[3] Et non est dubium quin methaphisica tractat de primis principiis scientiarum et de primis causis entium, ut apparebit in processu libri. Ipsa etiam merito dicitur scientia, quia scientia est habitus conclusionis demonstrate, et in metaphisica plures conclusiones demonstrantur. Methaphisica etiam considerativa est nobiliorum entium, quia Dei et Intelligentiarum, ut apparebit in duodecimo.[4] Ergo dicitur bene quod sapientia est intellectus et scientia et tamquam caput habens scientiam honorabilissimorum.

2 In quibus verbis methaphisica tripliciter recommendatur. Primo ex proprietate nominum, copiosa habundantia, et sapientia. Secundo ex aliorum habituum virtuosa continentia, quia est virtus et scientia. Tertio ex consideratorum subicibilium gloria et excellentia, quia scientia nobilissimorum de nobilibus proprietatibus sapientie attributis considerabitur plane in prohemio.[5] Quod est de continentia aliorum habituum apparebit satis in quarto huius.[6] Sed de nobilitate consideratorum totum determinatur in duodecimo.[7] Et verum est quod in isto tempore quo doctrinam Aristotilis communiter **++** ethicorum predicatorum et recommendatorum vel hominum vel scientiarum **++** Quare omnia excellentia que possunt ad⟨in⟩veniri, attribuuntur predictis in recommendationibus eorum.| Unde ⟨sicut⟩ alii volunt ponere unum E1rb
sanctum super apostolos superiorem, etigitur etiam unam artem vel

2 recommendatio] RECOMMENDATIO SIC INCIPIT SAPIENTIA. Recommendatio *E* 19 gloria et] glosa *E*

1 Cfr. *Eth. Nicom.* VI 7, 1141a18–20.
2 Cfr. *Metaph.* IV 5, 1010a15sqq.
3 Cfr. *Eth. Nicom.* VI 3, 1139b29sqq.
4 *Metaph.* XII 7 passim.
5 *Metaph.* I 1–2.
6 *Metaph.* IV 5, 1010a15sqq.
7 *Metaph.* XII passim.

scientiam superiorem super physicam principiantem. Et ideo ne credatur quod in recommendatione methaphisice velim illud facere, ergo per rationes intendo adpresens inquirere de eius excellentia et nobilitate. Ideo nunc formo illam primam questionem.

QUESTIO IA:
UTRUM METHAPHISICA SIT OMNIUM HABITUUM INTELLECTIVORUM HABITUS NOBILISSIMUS ET DIGNISSIMUS

3 Utrum methaphisica sit omnium habituum intellectivorum habitus nobilissimus et dignissimus. Et arguitur primo quod non. Ymo quod scientia legalis est nobilior, quia ipsa est appetibilior. Quod ex hoc apparet quia potentiores et viri ⟨magni⟩ magis prosequuntur eam, et quia etiam inter omnes homines legiste magis honorantur. Deinde etiam arguitur quod politica sit nobilior quia: Ordinans dicitur esse nobilius ordinatis. Sed politica potest ordinare de omnibus artibus et scientiis quas et in quibus oporteat addiscere, ut dicit[1] Aristotiles primo *Ethicorum*. Igitur politica est nobilissima.

4 Et hoc confirmatur quia: Finis politice est communis toti populo. Et quanto aliquid est communius, tanto est melius et divinius, ut dicitur[2] primo *Ethicorum*. Ergo politica dicitur reputari optima, et non methaphisica.

5 Deinde arguitur quod prudentia sit optima et multo melior quam methaphisica quia: Ista est optima in cuius opere consistit humana felicitas. Sed ista est prudentia; quod probatur per Aristotilem septimo *Politicorum* ubi dicit[3] quod unicuique tantum adiacet felicitatis quantum virtutis moralis et prudentie et eius quod est agere secundum eas. Item. Ille habitus est melior secundum quem homo redditur bonus quam ille secundum quem est indifferens bono et malo. Modo secundum prudentiam homo est simpliciter bonus, quod apparet sexto *Ethicorum* ubi dicitur[4] quod sine prudentia nullus potest esse bonus et cum prudentia nullus | est malus, eoquod omnes virtutes morales E1va

1 superiorem] inferiorem *E* | principiantem] principales *E*

1 *Eth. Nicom.* I 2, 1094a27–b2.
2 *Eth. Nicom.* I 2, 1094b7–10.
3 Cfr. *Politica* VII 1, 1323b21–23.
4 *Eth. Nicom.* VI 13, 1144a36–b1.

communicantur prudentie. Sed methaphisica est communis bonis et malis; unde magistri multi inveniuntur speculativi valde mali. Ergo etc.

6 Et potest argui ratione. Prudens non-methaphisicus est melior methaphisico non-prudente. Ergo prudentia est melior. Consequentia videtur manifesta de se. Antecedens apparet, quia prudens licet non sit methaphisicus, est simpliciter bonus sive prudens, sive philosophus sive methaphisicus. Et hoc patet totum in sexto *Ethicorum*.[1]

7 Item. Ille habitus est melior cuius finis est melior. Sed finis prudentie est bene vivere solum, et hoc est optimum, ut patet in primo *Ethicorum*.[2]

8 Methaphisicus practicus, in quo est prudentia, est nobilior methaphisico speculativo, in quo est methaphisica. Igitur etc. Antecedens apparet, quia precipiens est nobilior eo cui habet precipere. Sed intellectus practicus precipit speculativo quod speculetur; quod ex hoc apparet quia voluntas habet precipere de omnibus nostris operationibus, et ipsa non operatur sine intelligentia practica, ut habetur tertio *De anima*.[3]

9 Ultimo arguitur auctoritate Aristotilis septimo *Ethicorum* ubi dicitur[4] quod optimum in homine pervertitur per malitiam. Sed intellectus practicus, et non speculativus, est ille qui per malitiam pervertitur, ut patet sexto *Ethicorum*.[5] Igitur intellectus practicus est optimus eorum que sunt in homine, et non intellectus speculativus.

10 Et ille rationes reputantur valde difficiles. OPPOSITUM tamen apparet per Aristotilem in prohemio huius dicentem quod scientia maxime divina est maxime honoranda, et tamen ipse declarat quod methaphisica est maxime divina; igitur etc. Item. Aristotiles in fine huius prohemii concludit dicens "necessariores quidem omnes, digniores vero nulle".

1 communicantur] convertantur *E*

1 *Eth. Nicom.* VI 13, 1144a36–b1.
2 Cf. *Eth. Nicom.* I 2, 1095a19–20.
3 Cf. *De anima* III 10, 433a15–20.
4 Cfr. *Eth. Nicom.* VI 13, 1144a29sqq.; cfr THOMAE AQUINATIS *Expositionem* in *Arist. Ethicam Nicom.*, VI, comm. 1273–1274.
5 *Eth. Nicom.* VI 12, 1144a34–36.

SOLVITUR QUESTIO

11 In prosecutione huius questionis ego excipio habitus omnes supernaturaliter nobis infusos, et solum intendo loqui de illis habitibus ad quos ex nostris ⟨viribus⟩ naturalibus possumus pervenire. | Et tunc E1vb pono istam conclusionem quod methaphisica est omnium habituum intellectualium habitus nobilissimus et dignissimus. Et hoc probatur primo auctoritatibus et postea rationibus.

12 Prima auctoritas est quam in principio proposui ex sexto *Ethicorum*: sapientia enim est intellectus et scientia et tamquam caput habens scientia⟨m⟩ honorabilissimorum. Item. Commentator in eodem sexto dicit[1] expresse quod inconveniens est dicere politicam ⟨a⟩ut prudentiam esse optimam artem inter habitus intellectuales, nisi dicamus quod optimum eorum que sunt in mundo, est homo, quod Aristotiles non diceret, ymo Deus est ⟨in⟩ infinitum melior quam aliquis homo, saltem qui non est Deus. Et causa huius auctoritatis secundum Aristotilem est quod nobilior habitus est qui considerat de nobilioribus rebus. Consideratio autem prudentie non est nisi de homine et de actibus humanis. Adhuc in eodem sexto dicit[2] Aristotiles quod prudentia non est princeps sapientie; nec precipit ipsi sapientie, sed bene precipit gratia sapientie. Et ponit exemplum. Sicut politicus bene precipit circa sacrificia deorum et circa templa deorum [sacrificia deorum], sed non precipit diis, ideo propter talia precepta non oportet arguere quod politici sint nobiliores diis, ymo econverso. Et ita est de prudentia et sapientia.

13 Item. In fine ⟨primi⟩ *Magnorum moralium* dicit[3] Aristotiles quod prudentia se habet ad sapientiam sicut bonus servus ad dominum. Sicut enim bonus servus parat otium domino, ita prudentia parat in anima locum sapientie, coercendo passiones et temperando.[4]

14 Ultima auctoritas est decimo *Ethicorum*[5] quia humana felicitas consistit in operatione nobilissimi habitus. Et cum dicit humanam felicitatem consistere in opere speculativo et non in opere practico, igitur.

10 commentator] intellectus *E* 28 locum] bonum *E*

1 Averroes, *In Arist. Ethicam Nicom. comm.* to VI 12, 1144a34–36.
2 *Eth. Nicom.* VI 13, 1145a6–7.
3 *Magna Moralia* I 34, 1198a34sqq.
4 Cfr. *ibid.* 1198b14–20.
5 Cfr. *Eth. Nicom.* X 6, 1177a9–11.

15 Probatur illud idem multis rationibus. Prima est quia: Omnes habitus et actus humani debent esse ordinati, eoquod nulla | est bona E2ra
congregatio vel multitudo sine ordine. Igitur necesse erit quod methaphisica ordinetur finaliter ad aliquem alium habitum, vel quod alii habitus ordinentur finaliter ad ipsam. Modo certum est quod methaphisica non ordinatur finaliter ad politicam ⟨vel⟩ prudentiam, quia finis methaphisice non est nisi scire vel speculari. Ergo necesse est quod prudentia et politica sint finaliter ordinate in methaphisicam. Modo semper ultimatus finis est optimus et nobilissimus.

16 Item. Sicut dicimus de Deo, ita proportionaliter dicimus de nobis. Modo certum est quod Deus intelligit et contemplatur seipsum, et cum hoc Deus intelligit et ordinat omnia alia. Modo certum est quod Deus non est principaliter felix et bonus ex ordine aliorum, ymo ex contemplatione sue essentie. Et ita est etiam ⟨certum quod⟩ Intelligentie multo dicuntur nobiliores ex eo quod intelligunt et contemplantur essentiam divinam quam ex eo quod agunt et ordinant alia. Ergo similiter intellectus humanus debet dici nobilior et felicior secundum quod intelligit et contemplatur Deum (quod pertinet ad methaphisicam) quam secundum quod ordinat et diligit sensum appetitivum et corpus et exteriora bona (quod pertinet ad prudentiam et ad artem). Et propter istas rationes tenet[1] Aristotiles in decimo *Ethicorum* quod perfecta hominis felicitas consistit in vita speculativa.

17 Ultimo arguitur quia: Dignitas habitus attenditur penes preeminentias omnes supra alios habitus. Sed sapientia, que secundum Aristotilem est ipsa methaphisica, habet super alios habitus valde multas preeminentias – quas determinat; ipsa enim est desiderabilissima, universalissima, difficillima, principalissima, liberrima, honorabilisima, admirabilissima; et hec omnia in hoc prohemio probantur. Igitur ipsa est felicissima et dignissima.

Ad rationes

18 Tunc ad rationes. Que non habent | difficultatem nisi de prudentia. Ideo E2rb
notandum secundum Aristotilem quod prudentia non deservit nisi ad ordinandum bene de corpore et de bonis exterioribus et de sensu et appetitu sensitivo ne possent rebellare rationi. Et verum est quod hoc sufficit ad hoc quod optimus homo efficitur similiter bonus et absolute, sed non sufficit ad hoc quod dicatur optimus et perfectissimus. Ymo

1 *Eth. Nicom.* x 7, 1177a13 sqq.

requiritur ultra quod ⟨sit⟩ speculatio sive contemplatio divinorum, que iam principaliter pertinent ad methaphisicam.

19 Tunc ad primam respondeo quod leges sunt propter ordinationem corporis aut bonorum exteriorum, aut etiam sunt propter ordinationem sensus vel appetitus sensitivi. ⟨Sed⟩ non sunt simpliciter appetibiliores neque nobiliores quam illi habitus qui principaliter sunt ad ordinationem et perfectionem intellectus.

20 Tamen indubitanter multi inordinatione appetitus sensitivi magis inclinantur ad bona exteriora, sicut ad pecunias et mundanos honores quam ad bona interiora. Ideo a multis appetuntur magis que secundum rectam rationem non sunt appetibiliora. Sed ad hoc alii obiciunt quia non magis ⟨ut⟩ delectabile appeterent talia nisi assentirent ea esse magis delectabilia; et quod est magis delectabile, est melius.

21 Ad hoc respondet Aristotiles septimo *Ethicorum*[1] quod delectabilius est melius. Sed illud non dicitur sanum quod est sanum egro sed quidquid est sanum sano. Ideo illud non est simpliciter delectabilius quod est delectabilius habenti mentem egram, sicut sunt plures affectantes ad exteriora bona. Et similiter in decimo *Ethicorum* determinatur[2] quod delectationes in speculativis sunt multo maiores. Sed sicut dicit[3] Eustratius, hoc nesciunt aliqui quia non gustaverunt eas, ut qui mel non gustant, non participant dulcedinem mellis.

22 Ad aliam, de politica dicendum quod ipsa precipit et ordinat non-
sapienti nec sapientie, sed gratia | sapientie acquirende. Et cum dici- E2va
tur quod ⟨quia⟩ finis eius est communior, ideo melior, concedo quod bonum quanto est communius, tanto est melius, ceteris paribus. Sed cetera non sunt paria, quia politica, vel etiam prudentia non extendunt se nisi ad ordinationem appetitus sensitivi et corporis et bonorum exteriorum, que non sunt comparabilia bonis pertinentibus specialiter et principaliter ad intellectum.

23 Ad aliam, cum dicitur quod in actu prudentie consistit humana felicitas, dico quod Aristotiles decimo *Ethicorum* diffinit[4] duplicem felicitatem, scilicet practicam et speculativam. Et dicit felicitatem practicam non esse simpliciter optimum bonum hominis. Sed optimum bonum hominis est, inquam, civile. Et de illa felicitate loquebatur[5] Aristotiles septimo *Politicorum*.

22 dicendum] dictum *E*

1 *Eth. Nicom.* VII 13, 1152b33–35.
2 *Ibid.* VII 15; cfr. Thom. Aq., comm. 1533.
3 Perperam ascribi videtur illa sententia EUSTRATIO commentatori.
4 *Eth. Nicom.* X 6–8.
5 *Politica* VII 2–3.

24 Ad aliam concedo quod nullus est bonus sine prudentia. Similiter etiam nullus est bonus nisi quia primo haberet fantasiam, et non sequitur inde quod fantasia sit in homine optima potentia vel optima virtus. Concedo etiam quod omnis prudens est bonus ⟨et habet bonum⟩, sed non optimum, nec etiam perfectissimum nisi habuit habitus superiorum.

25 Sed illa confirmatio est difficilior in qua dicitur quod methaphisicus si non sit prudens, non sit bonus. Aristotiles respondet quod non est possibile aliquem esse perfectum metaphisicum nisi sit prudens, quia, sicut dictum fuit, prudentia tamquam ministra parat locum sapientie. Nullus affectus ultra modum ad res mundanas potest perfecte et delectanter speculari. Ideo non potest perfectus methaphisicus, quamvis habeat aliquas conclusiones de methaphisica. Ymo dicerem quod quamvis homo malus valde bene sciret de methaphisicalibus, tamen in mente non haberet principales conclusiones methaphisice, ymo eis oppositas. Unde statim dicerent ipsi quod Deus est amandus propter seipsum magis quam propter nobis benefacere, et quod ⟨propter⟩ facere propitius magis est amandus quam ⟨propter⟩ bona exteriora. Et tamen continue ex actibus ipsorum apparet quod hoc optimum habent in mente. Ergo diceretur quod omnis perfecte methaphisicus est perfecte bonus et numquam est sine prudentia.

26 ⟨Ad aliam dico quod finis prudentie non est simpliciter solum propter bene vivere, sed propter solum bene vivere practice⟩.

27 Ad aliam dico quod intellectus practicus non | precipit sapienti E2vb quantum ad opera sapientie. Ymo credo quod intellectus speculativus habet actus voluntatis consequentes opus eius sicut intellectus practicus, sed differenter, quia intellectus practicus habet actum voluntatis consequentem quantum ad ea que substant prudentie, sed intellectus speculativus habet actum voluntatis consequentem quantum ad delectationes in speculatione et quantum ad delectationem Dei propter levitatem eius speculative cognitionis.

28 Ad ultimam cum dicitur quod optimum in homine pervertitur per malitiam, dico quod loquebantur de optimo in homine practico inquantum practicus. Et ⟨notetur quod⟩ propter dicta non debetur opinari quod intellectus sit alia res a voluntate, nec intellectus practicus alia res a speculativo. Sed sic nominantur isti diversis nominibus in ordine ad diversos actus. Sequitur secunda questio.

18 propitius] proportione *E* 22–23 ad … practice] *om. E suppl. Ec*

QUESTIO IIA: *UTRUM OMNES HOMINES NATURALITER SCIRE DESIDERANT*

29 Utrum omnes homines naturaliter scire desiderant. Arguitur quod non quia: Multi homines non cognoscunt, sicut illi qui fortiter dormiunt. Ergo non omnes homines scire desiderant. Probatur consequentia quia: ⟨Omne⟩ desiderium humanum et omnis appetitus animalis fit mediante cognitione rei appetite. ⟨quia qui nichil cognoscit, nichil appetit, et qui nichil appetit, nichil desiderat, quia desiderium est actus ipsius appetitus. Igitur⟩.

30 Item. Appetitus est ratione carentie, ut accipitur[1] primo *Phisicorum*. Et similiter desiderium est rei permanenter absentis. Sed multi homines actu et principaliter sciunt et considerant. Igitur illi non desiderant scire.

31 Item. Aliqui desiderant ignorare. Igitur non desiderant scire. Consequentia videtur nota de se. Et antecedens probatur quia: Tertio *Ethicorum* tanguntur[2] diversi modi ignorantie. Est enim quedam ignorantia invincibilis; et illa excusat a peccato. Alia vocatur crassa ignorantia; alia vocatur ignorantia affectata; et ille non excusant a peccato. Igitur apparet quod aliqui affectant ignorare.

32 Item. Appetitus naturalis inclinans in aliquem finem inclinat etiam in media per que finis est natus attingi. Ideo videmus quod natura in suis operibus procedit | ad finem intentum per media determinata et E3ra
consequentia. Sed homo non appetit naturaliter media per que scientia est apta nata acquiri, scilicet conatum et sollicitudinem. Dicit[3] ⟨enim⟩ de eo Aristotiles primo *Rethorice* quod studia, conatus et sollicitudines sunt tristes. Et homo non appetit naturaliter scire triste.

33 Item. Entia naturalia prosequuntur ea que appetunt naturaliter, si non fuerunt impedita. Sed non omnes homines prosequuntur scientias, ymo multi mercaturas et divitias. Igitur non omnes homines appetunt naturaliter scire.

34 Item. Multi appetunt omnem scientiam scire, ⟨vel⟩ aliam et aliam non. Sed non est dicendum quod omnem, quia alique sunt scientie prohibite et numquam acquirerent propter quid ab omnibus deside-

7–9 quia … igitur] *coll. LU* 24 conatum et sollicitudinem] statum et solitudinem *E* 25 conatus et sollicitudines] solitudines cognitiones(!) *E* 31 aliam] aliquam *sic saepius E* 33 propter quid] promptam quod *E*

1 *Physica* I 9.
2 *Eth. Nicom.* III 2.
3 *Rhetorica* I 11, 1370a11–12.

ratum. Nec potest dici aliam et aliam non, quia ⟨non⟩ potest bene dari ratio quare unam et non aliam.

35 Et confirmatur quia: Vel omnes appetunt eandem scientiam, vel unus aliam et alter aliam. Sed non est dicendum quod omnes appetunt eandem naturaliter, quia videmus quosdam magis inclinari ad astrologiam, aliquos ad mechanicam, et sic de aliis scientiis. Nec est dicendum quod unus naturaliter appetit unam et alter aliam, quia natura ubique similiter operatur. Verbi gratia, ignis similiter ardet hic et in Persis, ut dicit[1] Aristotiles quinto *Ethicorum*. Si ergo homines naturaliter appetunt scire, ipsi eodem modo et idem scire appetunt.

36 OPPOSITUM arguitur auctoritate Aristotilis in principio huius libri.

SOLVITUR QUESTIO

37 Nota quod appetitus est inclinatio rei in simpliciter bonum vel in apparen[tibu]s bonum. Et solet distingui duplex appetitus, unus naturalis et alius animalis. Et vocaremus appetitum animalem illum qui fit mediante cognitione rei appetite ad quod aliter non fieret. Sed illum vocamus naturalem qui est ex natura rei absque cognitione mediante, sicut diceremus grave appetere locum deorsum vel materiam appetere formam. Et notetur quod appetitus animalis | non distinguitur contra naturalem ex eo quod nullo modo sit naturalis, sed solum propter causam predictam. Illi enim sunt diversi appetitus et sic consueverunt nominari. Nec est inconveniens, quia nomina sunt ad placitum. E3rb

38 Nota quod duplex est natura, scilicet materia et forma, ut habetur[2] secundo *Phisicorum*. Modo Aristotiles non loquitur hic de appetitu naturali qui est ratione materie, quandoquidem[3] materia est eiusdem rationis in hominibus et brutis. Et tamen non est intentio Aristotilis quod bruta et lapides sic appetunt naturaliter scire sicut homines. Sed iterum in primo et octavo *Ethicorum* Aristotiles distinguit[4] duplicem formam in homine, scilicet intellectualem et sensualem, et dicit quod sensualis sepe adversatur et obviat rationi. Nec propter hoc oportet ponere duplicem animam in homine, ymo magis credo quod sit eadem anima intellectiva et sensitiva. Sed dicitur sensitiva secundum quod utitur organo corporeo in suo actu cognoscendi superiori, et dicitur

1 *Eth. Nicom.* v 7, 1143b25–26.
2 *Physica* II 1.
3 quandoque *E*
4 *Eth. Nicom.* I, 13–14; X 6, 1177a1 sqq.

intellectiva prout in alio actu cognoscendi superiori non utitur organo corporeo. Et nichil ad propositum si sint due anime vel unica.

De prima conclusione

39 Istis notatis, possunt poni alique conclusiones. Prima est quod omnis homo secundum naturam intellectualem appetit naturaliter scire propter tria, ut dicit[1] beatus Thomas. Primo quia omnis natura inclinatur naturaliter in suam perfectionem, et scire est perfectio intellectus. Secundo est quia: Omnis natura intendit naturaliter ad suam operationem; ideo si sit obiectum appropriatum sufficienter, statim operatur, si non impediatur, ut ignis statim ardet, approximato sibi combustibili. Sed propria operatio intellectus est intelligere et scire. Ergo ad hoc intellectus naturaliter inclinatur. Tertio quia: Omne ens naturale appetit naturaliter assimilari primo principio quantum potest; unde propter hoc agunt omnia agentia naturalia. Sed intellectus per intelligere et scire assimilatur maxime primo principio. ⟨Igitur⟩ etc.

40 Item. Dicta conclusio probatur sic. Si intellectus non inclinaretur naturaliter ad intelligendum, sequitur quod violenter intelligeret quando principia intelligeret; quod est absurdum dicere. Et patet consequentia, quia tertio *Ethicorum* violentum | describitur[2] sic quod est 3va a principio extrinseco quando passum non confert vim, idest quod non inclinatur ad hoc. Et sic esset in proposito. Item. Nisi intellectus esset naturaliter inclinatus ad scire et ad intelligere, sequeretur quod non magis assentiret primis principiis quam suis oppositis; quod est manifeste falsum. Et patet consequentia quia non determinatur ad ista principia prima per principia priora; ideo non determinaretur ad ea nisi hoc habetur ex natura. Et vos debetis notare quod dicte rationes satis ostendunt quod isti appetitus debeant dici naturales prout naturale distinguitur contra animale, quia huiusmodi inclinatio ⟨est⟩ ante actualem cognitionem, quia, ⟨ut⟩ nos dicebamus, ad primam eius inclinationem inclinaretur; aliter fuisset violenta, sicut arguebatur.

De secunda conclusione et tertia

41 Secunda conclusio potest poni quod homo non appeteret naturaliter scire secundum partem sensualem, saltem ea ratione qua dicitur sen-

5 appetit] apparet *E*

1 Thomas Aquinas, *In Arist. Metaph. Expositio*, I comm. 2–4.
2 *Eth. Nicom.* III 1, 1110a1–3.

sualis, quia hoc non convenit sibi. Et media etiam per que oportet devenire ad scire, sunt sepe sensui tristia. Sed tertio concludendum est quod simpliciter, absolute loquendo, debet concedi quod homo appetit naturaliter scire, quia quod est homini conveniens secundum intellectum, debet dici simpliciter sibi conveniens, et non istud quod convenit sibi secundum sensum. Propter quod intellectus est principalior et superior. Et hoc totum dicit[1] Aristotiles in decimo *Ethicorum*.

Ad rationes

42 Et propter solutiones rationum notandum quod postquam cognoscimus scientias et actus intelligendi nostros, nos possumus eos appetere appetitu animali qui vocatur voluntas. Et per illam voluntatem liberam homo potest se determinare ad prosequendum unam scientiam et dimittendum aliam.

43 Ad rationes. Ad primam dico quod homo quando nichil cognoscit, nichil appetit appetitu animali; tamen adhuc appetit appetitu naturali, sicut ignis qui nichil cognoscit, appetit calefacere.

44 Ad aliam potest dici quod si accipitur 'desiderium' large pro appetitu, sive res sit absens sive presens, unde non omnis actus appetendi est ratione carentie, quia maior est delectatio ab obiecto presente.

45 Ad aliam dicendum quod aliqui bene appetunt aliquos actus ignorare et recedunt ne videantur. Sed hoc est per appetitum animalem, et non per appetitum naturalem. Unde hoc non obstante, | intellectus E3vb semper est naturaliter inclinatus ad intelligendum. Ideo statim semper intelligit si obiectum fuerit presens, et quod virtuti sensitive sibi debite ministrarent species intelligibiles.

46 Ad aliam dico quod licet media ad cognoscendum sint aliquando gravia sensui, tamen numquam sunt gravia intellectui, saltem ea ratione qua dicitur intellectus. Et ideo numquam intellectus refugit. Sed sensus bene refugit ea ⟨ratione⟩ qua est innatus adversari rationi. Ad aliam dico quod homo secundum intellectum appetit naturaliter omnem scientiam et ad omnem naturaliter inclinatur; tamen per appetitum animalem, scilicet per voluntatem alique scientie prohibentur, quia mali homines possunt per eas multum nocere. Dico etiam quod si unus prosequitur unam scientiam et alter aliam, tunc determinatio est per voluntatem ⟨volentem⟩ semper appetitum animalem. Sequitur tertia questio.

1 *Eth. Nicom.* x 7, 1177b19sqq.

QUESTIO IIIA: *UTRUM MAXIME DEBEAMUS DILIGERE SENSUM VISUS INTER CETEROS SENSUS*

47 Utrum maxime debeamus diligere sensum visus inter ceteros sensus. Arguitur quod non quia: Sensus interiores sunt nobiliores et principaliores, ⟨scilicet⟩ sensus communis et virtus cogitativa. Igitur illi sunt magis diligendi. Deinde specialiter arguitur quod tactus sit magis diligendus quia: Ille est magis diligendus qui nobis est magis necessarius, quia sine isto non possumus vivere et sine visu possumus vivere. Igitur tactus est magis diligendus.

48 Confirmatur. Istum sensum magis debemus diligere ex cuius perditione plura et maiora bona perdemus. Sed ex perditione tactus perderemus vitam et per consequens omnia alia, loquendo precise de perditionibus ad istam vitam. Sed si perderemus visum, adhuc remaneret nobis vita et multiplex cognitio tam sensitiva quam cognitio intuitiva. Igitur tactus est magis diligendus.

49 Item arguo. Illum sensum magis debemus ⟨diligere⟩ qui certius iudicat et plures rerum differentias nobis ostendit. Sed tactus est huiusmodi. Patet per Aristotilem in *De sensu et sensato*. Qui propter hoc dicit[1] sensum visus esse magis diligendum. Minor declaratur, scilicet quod tactus certius iudicat, ut dicit[2] Aristoiles secundo *De anima* quod illum sensum, scilicet tactum, habemus certissimum. Et ibidem dicit quod secundum bonitatem istius sensus homines dicuntur magis apti mente et ingeniosi. Quod etiam tactus plures rerum differentias | E4ra ostendit. Et sic probatur quia: Visus non est per se et proprie nisi unius contrarietatis, scilicet albi et nigri. Tactus autem est per se et proprie plurimarum contrarietatum, ut calidi et frigidi, humidi et sicci, mollis et duri, asperi et levis, et sic de multis ⟨aliis. Igitur⟩ tactus magis est diligendus.

50 Similiter possumus arguere quod magis debeamus diligere auditum quia: Secundum Aristotilem istum sensum magis debemus diligere qui magis facit nos cognoscere. Sed ⟨quod⟩ ille sensus auditus est ille, apparet quia sensus auditus est magis sensus sensibilis discipline. Ideo habentia auditum sunt magis disciplinabilia, et alia non habentia auditum non sunt disciplinabilia, quamvis tamen habeant sensum visus, ut dicit Aristotiles in illo prohemio.

1 *De sensu et sensato* 1, 437a3–5.
2 *De anima* II 9, 421a18–21.

51 Item. Per auditum plurima cognoscimus quam per visum. Ymo cognoscibilia possumus cognoscere per auditum. Et sicut dicit Aristotiles[1] in secundo huius, pauca esset scientia quam aliquis posset ex se invenire, sed multa est quam potest habere ab alio per doctrinam. Et ista doctrina est per auditum. Igitur auditus facit nos magis cognoscere. Propter hoc enim dicit[2] Aristotiles in *De sensu et sensato* quod ceci fiunt sapientiores surdis. Ideo auditum magis debemus diligere.

52 OPPOSITUM arguitur per Aristotilem in illo prohemio. Quod quanto aliquid est melius, tanto illud est magis diligendum. Sensus autem nostri nobis sunt dupliciter boni. Uno modo propter necessitates ad vitam nobis procurandas, alio modo propter cognitionem intellectivam sensus deserviunt intellectui intantum quod nichil possumus intelligere sine sensitiva cognitione previa.

De duplici questione

53 Hoc notato, secundum quod in proposito ⟨diximus⟩ possumus formare duplicem questionem. Prima est quem sensum magis debeamus diligere, ⟨sive⟩ qui sensus sit melior propter necessitatem vite. Secunda questio ⟨est⟩ quem debemus magis diligere, sive quis sit melior et magis diligendus.

54 Ad primum respondendum est quod sensus tactus est maxime diligendus propter necessitatem vite, quia sine isto non possumus diu vivere, et sine aliis possumus magis vivere. Et quod ille sensus tactus magis est necessarius ad vitam apparet ex hoc quod omni animali natura dedit sensum tactus, et non omni animali alios; quod non fecit | natura nisi quia ille solus sensus est necessarius simpliciter omni E4[rb] animali ad vitam. Et post sensum tactus magis est credendum quod gustus est melior propter necessitatem vite, quia non possemus diu vivere sine discretione alimenti convenientis. Et post gustum utilior ad vitam videtur esse visus; postea forte auditus, et ultimo olfactus.

55 Ad secundam questionem distinguo quod sensus potest esse utilis ad intelligere dupliciter, scilicet per se et per accidens. Modo quantum est de per se, visus videtur maxime proficere ad intellectivam cognitionem, quia visus valde manifeste iudicat et distinguit, et quia etiam visus iudicat de omnibus corporibus tam inferioribus quam superioribus. Alii autem sensus non distinguunt inter entia ita clare nec

25 solus] solius *E*

1 an AVERROES ad *Metaph.* II 3?
2 *De sensu et sensato* 1, 437a15–18.

percipiunt corpora celestia, sed solum ista inferiora, ymo solum ea que sunt magis prope. Et ideo nullus potest sensus inducere intellectum ad cautam notitiam sicut visus, unde auditus quantum est de per se, non est nisi sonorum et sonantium que paucis rebus conveniunt. Dico tamen quod sensus auditus nobis est utilior ad cognitionem intellectivam, scilicet inquantum accidit quod non solum per nos ipsos sed per doctrinam aliorum possumus acquirere nobis aliquam scientiam, et ⟨in⟩quantum accidit vocibus audibilibus quod imponuntur ad significandum omnes res.

56 Et si tu queris unde hoc proveniat, cum enim sensus visus sit certior, videtur quod magis visibilia debuissemus imponere ad significandum res quam audibilia, dico quod causa ista fuerit quia audibilia sunt magis in potestate nostra quam visibilia, quia quando volumus, possumus voces formare sine exteriori ministro, et non sic possumus formare visibilia.

57 Et post istos duos sensus credo bene quod sensus tactus magis proficiat intellectui, et consequenter gustus et ultimo olfactus.

58 Propter secundam questionem dico quod non sequitur 'Hoc est utilius; igitur hoc est melius' ⟨in⟩quantum Aristotiles distinguit utile contra honorabile. | Bonum enim ex hoc dicitur utile quia est gratia E4va alterius tamquam ordinatum ad alterum finem, sed honorabile dicitur ex hoc quia est gratia sui tamquam finis aliorum. Modo finis est melior ordinatis ad finem, quamvis ordinata ad finem sint utiliora ad finem. Unde cibus et potus sunt tibi magis utiles quam tua manus vel tuus pes, quia, ablatis cibis et potibus, perderes pedes et caput et vitam, que tamen non perderes per ablationem pedum vel manuum. Et tamen non sequitur quod cibus sit melior quam pes, nec sequitur quod tu magis debes diligere cibum quam pedem etc. Unde Aristotiles ponit quod bona anime sunt similiter bona, nobiliora et meliora quam bona corporis et bona corporis quam exteriora, licet econverso sit de utilitate.

SOLVITUR QUESTIO

59 Hoc notato, potest dici quod sensus visus est simpliciter melior et nobilior et magis diligendus quam bona anime, scilicet intellectiva. Et in quibus consistit felicitas sunt optima et magis diligenda. Ideo etiam

11 imponere] imponuisse(!) *E*

inter alia ista sunt magis diligenda et meliora que sunt istis bonis anime propinquiora et magis valentia ad bona anime, sicut est de sensu visus inter ceteros sensus, ut dictum fuit. Igitur etc.

Ad rationes

60 Ad rationes. Ad primam concedo quod sensus tactus est nobis magis necessarius ad vitam. Sed non sequitur 'igitur simpliciter melior', ymo etiam artes mechanice sunt magis nobis necessarie ad vitam quam scientie speculative, et tamen non sunt meliores neque nobiliores.

61 Sed ad aliam ⟨scilicet ad con⟩firmationem, quando dicitur "illud est magis diligendum per cuius amissionem amitteremus plura et nobiliora et meliora", dico quod ista non est universaliter concedenda, quia plura amitteremus per subtractionem cibi et potus quam per subtractionem philosophie vel quam ⟨per⟩ subtractionem pedum aut manuum, ymo etiam plus amitteremus si auferrentur artes sutorie vel filandi quam si auferrentur artes militares. Unde illa propositio non valet nisi ad talem sensum quod illud per cuius amissionem plura amittuntur, est melius ⟨coniunctum⟩ cum illis pluribus, ita | quod totum E4vb aggregatum sit melius. Sed non sequitur quod ipsum precise sumptum sit melius. Quando enim dicitur quod ex perditione tactus perderemus et visus et vitam et philosophiam et totum, concedo. Ideo hec omnia simul coniuncta sunt meliora quam visus et vita et philosophia. Sed non sequitur quod tactus precise sit melior, sed solum sequitur quod ipse est necessarius ad ipsas res meliores.

62 Ad aliam, ⟨quando dicitur⟩ quod sensus tactus melius iudicat, nego. Et quando tu dicis quod istum sensum habemus necessario, dico quod hoc habet intelligi non in comparatione ad alios sensus sed in comparatione ad alia animalia, ita quod est intentio Aristotilis quod homo habet tactum meliorem et certiorem quam aliud animal, sed non habet tactum certiorem quam visum. Quando etiam dicitur quod secundum bonitatem tactus iudicantur homines ingeniosi, dico quod hoc non est quia certius iudicet, sed quia bonitas tactus attestatur super bonam complexionem et bonitas complexionum valet ad bonitatem ingenii. Quando autem dicitur quod tactus plurium rerum differentias demonstrat, dico quod non,[1] quamvis sit per se circa plura genera contrarietatum, quia genus contrarietatis, vel saltem genus sensibilium propriorum visus, se extendit ad valde plura corpora propria quam faciunt omnes contrarietates tactus.

1 Aliter censere videtur auctor noster in *Lectura ultima* 1, q. 6 *ad finem*.

63 Ad aliam, de auditu concedendum est quod per accidens auditus plus valet ad intellectivam scientiam acquirendam quam visus. Et ista argumenta quare hec dicta fuerunt in positione. Sequitur quarta questio.

QUESTIO IVA: *UTRUM ARS ET SCIENTIA FIANT HOMINI PER EXPERIENTIAM*

64 Utrum ars et scientia fiant homini per experientiam. Arguitur quod non quia: Notitia artis vel scientie est certa et infallibilis. Experientie vero sunt fallaces, ut dicit[1] Ypocras in principio *Amphorismorum*. Modo notitia infallibilis et certa non fit per notitiam fallacem. Igitur etc.

65 Item. Scientia et ars sunt universalium, | et experimentum est singularium, ut vult hic Aristotiles. Modo universalia nobis sunt notiora singularibus, ut habetur[2] in prohemio *Phisicorum*; et non est dicendum quod, per minus, non fiant nobis ars et scientia. Igitur non fiunt per experimenta. E5ra

66 Item. Vel hoc esset per se, vel per accidens. Sed neutro modo. Probo. Primo. Non est dicendum quod per se, quia *per se* supponit *de essentia*, et tamen non omnis ars fit per experientiam. Quod apparet per Aristotilem dicentem in illo prohemio aliquos habere artem sine experientia. Nec est dicendum quod per accidens, quia de eo quod est per accidens, non est curandum in arte vel in scientia.

67 Item. Artes et scientie addiscuntur in scolis, ubi tamen non fiunt experientie.

68 Item. Queretur que causa vocaretur per illam prepositionem 'per', utrum causa efficiens vel materialis etc.

69 OPPOSITUM dicit Aristotiles.

SOLVITUR QUESTIO

70 Ista questio mota est ad distinguendum inter diversa genera cognitionis humane. Unde primo distinguendum est inter sensum, memoriam et experimentum, cognitionem sensitivam, memorativam et experi-

14 singularibus] singulis *E*

1 HIPPOCRATES, *Aphorismoi* I, 1 (tr. CONSTANTINUS AFRICANUS).
2 *Physica* I 1, 184a16–24.

mentalem. Cognitio sensitiva est que fit in presentia ipsius sensibilis; sicut enim tu cognoscis istum ignem esse calidum si tangis eum. Sed notitia memorativa est que habetur de aliquo prius sensato per speciem reservatam in virtute memorativa; et sic tu modo cognoscis quod iste ignis quem heri sensisti, erat calidus. Sed cognitio experimentalis dicitur de eo quod numquam fuit a te sensatum nisi per hoc quod similia fuerunt a te sensata.

71 Verbi gratia, pono: tu numquam tetigisti illum ignem, et tamen cognoscis illum esse calidum. Ymo etiam canis, qui non habet intellectum, iudicaret a remoto ipsum esse calidum, quia alios plures consimiles cognovit per tactum esse calidos, de quibus relicta est sibi memoria. Hec enim notitia vocatur proprie notitia experimentalis, prout notitia experimentalis distinguitur contra notitiam sensitivam et memorativam. Verum est tamen quod sepe notitiam sensitivam vocamus nos experimentalem. Unde si tu tetigisti istum ignem, tu aliquando dicis te expertum esse quod ipse est calidus. | Sed hoc non est proprie de experimento prout experimentum distinguitur contra actualem sensationem. E5rb

72 Et sic apparet bene quod experimentum proprie dictum provenit nobis ex multis sensationibus et memoriis. Unde si aliquis semel vidit quod ⟨hoc⟩ rubarbarum purgat coleram, non statim propter hoc iudicabit cum certitudine quod illud aliud rubarbarum purgat coleram. Sed si ipse vidit plures sine instantia, tunc similiter assentiet de alio.

73 Postea debetis scire quod ex virtute dictarum cognitionum intellectus consurgit ad assentiendum universali propositioni, et quod omnis ignis est calidus et quod omne rubarbarum purgativum est colere. Et ista propositio universalis accipitur in arte tamquam principium, vel in scientia.

74 Unde debetis ulterius scire quod principia indemonstrabilia in artibus vel scientia sunt duplicia. Quedam ⟨sunt⟩ primo manifesta. Que offerunt se intellectui propter manifestam inclusionem vel exclusionem terminorum ut "De quolibet esse vel non esse" et quod "Omne totum est maius sua parte" et sic de multis aliis. Alia sunt principia indemonstrabilia. Que non sunt statim manifesta quando offeruntur intellectui, sed bene dubitabilia. Unde si numquam tetigisses ignem, ista esset tibi dubitabilis 'Utrum ignis sit calidus', sicut 'Utrum luna est lucida', et talia principia.

75 Ad hoc ergo quod fiant nobis certa, indigemus sensationibus previis et memoriis pluribus et experientiis. Et cum hoc non absolute

31 inclusionem] inclinationem *E* 37 lucida] calida *E*

dicuntur principia, quamvis non sunt cognita per demonstrationem nec per aliquam rationem concludentem gratia forme. Sed in virtute eius, intellectus propter naturalem eius inclinationem ad veritatem consentit propositioni universali.

76 Istis habitis, potestis manifeste videre quomodo scientia vel ars fiunt per experientias. Sic enim fiunt per experientias quia aliqua principia earum sunt nobis tradita per previas experientias. Et tamen non omnia principia sunt nobis nota dicto ⟨modo⟩. Et ideo etiam multe sunt conclusiones in artibus et in scientiis que fiunt nobis note sine previis experientiis. | E5va

⟨*De duplici arte*⟩

77 Item. Nota quod duplex est ars, scilicet quedam est doctrinalis, scilicet que a doctore vel lectura librorum nobis acquiritur sine exteriori operatione. Alia est usualis. Que nobis per usum et multiplicem actionem exteriorem acquiritur, – de qua dicitur[1] in secundo *Ethicorum* quod fabricando fabri fimus etc. –. Modo ⟨ars que a doctore vel lectura librorum nobis acquiritur, non per usum et multiplicem actionem acquiritur⟩. Igitur ars doctrinalis non est nisi circa terminos universales. Unde si videatis artem medicinalem in scolis traditam, ipsa non loquitur simpliciter de isto infirmo vel etiam de isto rubarbaro. Et sic intendit Aristotiles in isto prohemio quod ars est circa universalia et non circa singularia. Sed ars usualis non solum est circa universalia, ymo magis circa singularia, sicut expresse determinat[2] Aristotiles in sexto *Ethicorum*. Et sine dubio ars doctrinalis numquam est perfecta nec conveniens ad bene agendum nisi compleatur per artem usualem. Si igitur loquimur de arte usuali, cuius rationes et demonstrationes descendunt ad singularia, tunc possumus bene dicere quod multarum demonstrationum in arte premisse sunt nobis note notitia sensitiva aut memorativa aut experimentali. Sed in arte doctrinali omnes premisse sunt universales, nulle sunt manifeste notitia sensitiva vel experimentali, sed omnes notitia intellectiva, cum intellectus tali notitie assentiat propter previas experientias.

16 fimus] sumus *E*

1 Cf. *Eth. Nicom.* II 1, 1103a30–34.
2 *Eth. Nicom.* VI 7, 1141b16.

Ad rationes

78 Istis visis, dicendum est ad rationes. Ad primam dicendum quod notitia experimentalis est certa et infallibilis, si sit ⟨con⟩firmata ex quam plurimis sensationibus et memoriis cum consideratione memoriarum, circumstantiarum, apparentia artis etc. Aliter experientie essent fallaces.

79 Ad aliam dicitur quod singularia sunt notiora universalibus. Et ideo Aristotiles in prohemio *Phisicorum* dicit[1] quod universalia sunt notiora singularibus, in ++ respectu idest de unus ++ universalibus.

80 Ad aliam dicendum quod hec est per se vera et universaliter vera quod ars perfecta indiget experientiis. Ideo si habeatur ars solummodo per doctrinam et sine experientiis, ista non est perfecta sed multum inconveniens ad operandum. Et per hoc solvitur penultima ratio.

81 Ad ultimam potest dici | quod ista dictio 'per' notat causam agen- E5vb
tem, quamvis non principalem sed ministrativam. Notitia enim sensitiva ministrat intellectui et deservit ad hoc quod intellectus interrogat et iudicat de universalibus.

Sequitur alia questio, scilicet ista, in ordine quinta questio.

QUESTIO VA: *UTRUM OMNES ACTUS ET GENERATIONES SINT CIRCA SINGULARIA*

82 Utrum omnes actus et generationes sint circa singularia. Et videtur primo quod non, per differentiam quam ponit[2] Aristotiles primo *Phisicorum* inter sensum et intellectum quia: Intellectus, idest actus intelligendi est ipsius universalis et actus sentiendi singularis; et hoc apparet etiam in actu considerandi in scientia speculativa. Illi non sunt circa singularia, quia scientie speculative non descendunt ad singularia. Igitur non omnes actus sunt circa singularia.

83 Item. Dicit Aristotiles quod sensus, idest potentia sensitiva, est ipsius universalis. Potentia enim visiva non est determinata ad istum colorem vel istum, sed est indifferens ad omnes colores. Ideo etiam primum obiectum visus non dicitur hic color vel ille, sed communiter color. Sed in libro *De sompno et de vigilia* dicit[3] Aristotiles quod cuius est potentia, eius est actus. Igitur actus sentiendi erit ipsius universalis.

5 artis] aristotilis(!) *E*

1 *Physica* I 5, 189a4–8.
2 *Physica* I 1.
3 *De somno et vigilia* 1, 454a8.

84 Idem arguitur de actu appetendi. Nam equus sitiens appetit aquam, et tamen non determinate istam vel determinate istam, sed communiter et indifferenter quamlibet. Ideo quecumque sibi occurreret libenter eam ⟨potat⟩. Et sic patet quod actus appetendi est circa universale et non circa singulare.

85 Idem etiam arguitur de actu promittendi et debendi, quia: Promitt⟨en⟩do tibi equum ego non promitto tibi istum equum et ⟨non⟩ alium, quia alium possem tibi solvere. Nec promitto tibi alium, quia de isto possem tibi satisfacere. Igitur talis actus promittendi vel debendi est communiter equi et non simpliciter huius vel istius.

86 Item. Ars medicinalis est de eis circa que debent esse actus medicinales. Et tamen ars medicinalis non est de singularibus sed de universalibus. Igitur etiam actus medicinales sunt circa universalia.

87 OPPOSITUM arguitur per Aristotilem dicentem in illo prohemio quod omnes | actus et generationes sunt circa singularia, et quod propter E6ra
hoc expertus certius agit quam inexpertus et incertus. Sed experientia est singularium, circa que sunt actus et generationes, et ⟨non⟩ est universalium, circa que non sunt actus vel generationes.

De tribus conclusionibus preliminaribus

88 Multi diversimode laborant ad exponendum istam auctoritatem Aristotilis. Et ad removendum aliquas expositiones ego pono aliquas conclusiones. Prima est quod non magis generatur singulare quam universale, ymo eque universalia sunt generabilia sicut singularia, quia universalia non sunt ⟨nisi⟩ termini significativi. Et similiter singularia prout ordinantur ipsis universalibus sive prout corresponde⟨n⟩t eis, non sunt etiam nisi termini significativi. Ut iste terminus 'homo' est universalis et iste terminus 'Sortes' est singularis, et certum est quod uterque potest generari sive de novo fieri aut in mente tua aut in voce.

89 Sed tunc statim obicitur quia: Aristotiles et multi alii posuerunt universalia esse perpetua, et singularia non esse perpetua. Respondetur quod illud dictum non est verum nisi ad sensum improprium sermonis. Videtur ⟨quod⟩ secundum Aristotilem multa universalia ad illum sensum sunt perpetua quia perpetue de unoquoque ipsorum potest verificari hoc predicatum 'est'. Unde semper hec esset vera si proponeretur 'Homo est', 'Equus est', 'Aqua est' et sic de aliis. Et ad ⟨illum⟩ sensum correspondenter singularia dicerentur corruptibilia, quia non semper verum est dicere quod Sortes est vel quod Plato est.

25 ordinantur] ostenduntur *E*

90 Secunda conclusio est quod non magis sunt actus et generationes circa res quas termini singulares significant, quia penitus eedem sunt res que per utrosque terminos significantur. Unde omnes res que significantur per terminos contentos sub illo termino 'homo', significantur per istum terminum 'homo', et econverso.

91 Tertia conclusio est hec quod hoc predicatum 'generatur' non predicatur per se de terminis singularibus, sicut nec dicitur per se de terminis universalibus. Unde sicut ista non est per se 'Homo generatur', igitur nec ista 'Sortes generatur', cum contingat eam esse falsam. Ymo hoc predicatum 'generabile' | vel 'corruptibile' magis predicantur E6rb per se et primo de aliquo termino universali quam de aliquo termino singulari. Unde potest dici quod ista esset per se et primo 'Substantia materialis est corruptibilis', et non ista 'Sortes est corruptibilis'.

92 Ideo restat dubitatio ad quem sensum Aristotiles posset dicere quod actus et generationes sunt circa singularia et non circa universalia. Et hoc michi videtur respondendum quod in proposito per 'esse circa singularia' intelligimus idem quod 'determinate se habere ad hoc ita quod non ad aliud', et per 'esse circa universalia' intelligimus idem quod 'indifferenter se habere ad hoc et ad illud (et sic de aliis) eiusdem speciei vel generis'.

93 Deinde notandum quod in proposito hec dictio 'circa' potest notare habitudinem actus (sive actionis) sive generationis ad agens vel passum. Sed quia aliqui actus sunt significativi sive representativi quorundam aliorum, igitur hec dictio 'circa' posset notare habitudinem actus significativi vel representativi ad res significatas vel representatas.

De tribus conclusionibus

94 Tunc pono conclusiones. Prima est quod omnis potentia ut est separata ab actu, est circa universalia et non circa singularia, ad sensum prius datum. Quod manifestum est per inductionem. Nam potentia ignis calefactiva non est determinata ad hoc calefactibile vel illud, ymo quodcumque sibi applicatur debite, calefiet ab ipso. Item potentia visiva non est determinata ad istum colorem vel illum, sed quemlibet indifferenter posset videre; et sic de aliis.

95 Secunda conclusio ⟨est⟩ quod omnis actus, idest omnis actio vel generatio, est circa singularia et non circa universalia, prout hec dictio 'circa' notat habitudinem ad agens vel ad passum. Et hoc etiam probari potest per inductionem. Actus enim scibendi quicumque potest

32 item] igitur *sic saepius E*

significari est determinate ab illo vel ab alio, et in isto etc. Similiter omnis actus sentiendi est determinate in illo sensu, vel ab isto, et est determinate ab illo obiecto vel illo causatus. Similiter actus intelligendi quamvis sit communissimus est determinate | in illo intellectu vel de- E6va
terminate in illo, et etiam determinate causatus ab illo fantasmate vel ab illo, scilicet meus a meo, tuus a tuo, et sic de omnibus aliis.

96 Tertia conclusio est quod actus intelligendi bene est circa universalia prout hec dictio 'circa' notat habitudinem ipsius ad res intellectas. Verbi gratia, actus iste intelligendi a quo sumitur iste terminus 'equus', non determinate ⟨est⟩ huius equi, ymo illo actu ego indifferenter intelligo omnes equos.

DETERMINATUR QUESTIO

97 Et sic videtur michi quod propositio Aristotilis in illo prohemio erat intelligenda iuxta conclusionem precedentem. Et illa differentia quam ponebat Aristotiles inter sensum et intellectum in primo *Phisicorum*, erat intelligenda secundum istam ultimam conclusionem. Sed illa actoritas quod potentia sensitiva est ipsius universalis erat intelligenda iuxta primam conclusionem.

98 Postquam voces non imponuntur ad significandum nisi mediante actu intelligendi, ideo actus sentiendi est bene circa universale, prout hec dictio 'circa' notat habitudinem ad res significatas, ut hec dictio 'homo' non sic determinate significat Sortem quin etiam significet Platonem, et indifferenter omnes homines. Similiter quia actus volitandi sequitur actum intelligendi, ideo potest esse circa universalia, prout hec dictio ⟨'circa'⟩ notat habitudinem ad res volitas. Et sic etiam est de actu promittendi ad res promissas, quia fit mediante actu intelligendi. Similiter actus appetendi in habitudine ad res appetitas est circa universale, quia est ratione carentie. Et equus sitiens non caret ista aqua quin etiam istam. Ideo non est determinatus ad appetendum istam.

99 Tamen indifferenter quilibet istorum actuum fit determinate ab aliquo agente et determinate in aliquo passo. Ut actus tuus sive volendi sive intelligendi fit determinate a te, ita quod non a me, et meus determinate a me. Et per hoc rationes procedunt viis suis.

19 postquam] postea quod *E*

QUESTIO VIA: *UTRUM METHAPHISICA SIT OMNIUM SCIENTIARUM CERTISSIMA*

100 Utrum methaphisica sit omnium scientiarum certissima. Arguitur quod non quia: Dicit[1] Commentator secundo huius quod mathematice scientie sunt in primo gradu certitudinis, et quod naturales in hoc sequuntur | eas. E6^{vb}

101 Item. In prohemio *De anima* dicit[2] Aristotiles scientiam de anima esse ponendam in primis tam secundum nobilitatem quam secundum dignitatem. Item in illo prohemio dicit Aristotiles methaphisicam esse difficillimam. Modo quanto aliquid est difficilius, tanto est minus certum. Ideo methaphisica videtur incertissima.

102 Item. In primo *Thopicorum* dicit[3] Aristotiles quod si daretur methodus communis de quatuor predicatis et non fiet descensus in speciali ad unumquodque eorum, ista methodus esset incerta. Et etiam dicitur[4] de virtutibus secundo *Ethicorum*. Et per hoc appareret quod de aliquibus rebus secundum rationes communes earum scientia est incerta, et quod scientia de eis secundum rationes speciales est certior. Modo methaphisica est de entibus secundum eorum rationes communissimas, et alie scientie sunt de eis secundum rationes specialiores, et iste sunt certiores.

103 Item. In illo prohemio dicit Aristotiles quod ista scientia est certiorque est ex paucioribus. Igitur ista est incertior que est de pluribus. Sed methaphisica est de pluribus, quia est de omnibus entibus.

104 Item. Scientia est minus certa que supponitur ab alia. Sed methaphisica supponitur ab aliis scientiis, ut a gramatica sermo congruus, a logica modus arguendi supponitur. Etiam a physica substantias separatas esse, ut dicit[5] Commentator. Igitur ipsa est certior.

105 Item. Videtur quod omnes scientie sunt eque certe, quia omnes videntur esse certissime. Probatio quia: Illud esset calidissimum quod haberet caliditatem sine aliquo gradu frigiditatis; igitur similiter illud esset certissimum quod habert certitudinem sine aliqua formidine. Sed omnis scientia demonstrativa est huiusmodi; aliter non transcenderet gradus opinionis. Ergo omnes sunt certissime.

106 OPPOSITUM intendit Aristotiles in illo prohemio.

1 AVERROES, *In Arist. Metaph.* ad II 3, 995a14 sqq.
2 *De anima* I 1, 402b16 sqq.
3 *Topica* I 9.
4 *Eth. Nicom.* II 1.
5 AVERROES, *In Arist. Metaph. Comm.* ad II 3, 995a14 sqq.

SOLVITUR QUESTIO

107 Nota quod certitudo preexigit veritatem. Nullus enim potest habere certitudinem de falso, quamvis valde firmiter assentiat ei et sine formidine ad oppositum. Sed supposita veritate, certitudo multipliciter | E7ra accipitur. Primo modo scientia dicitur certa ex parte rerum consideratarum propter earum firmitatem et immutabilitatem. Et sic concedendum est quod methaphisica est certissima proquanto ipsa est considerativa primarum causarum, scilicet Dei et Intelligentiarum, quia ipse cause sunt maxime firme et immutabiles.

108 Secundo modo scientia dicitur certa ex evidentia suorum principiorum. Et sic etiam methaphisica dicitur certisima, quia ipsa est de primis principiis, que sunt omnino evidentia, ut apparet quarto huius.

109 Tertio modo scientia dicitur certa vel certior ex eo quod circa que considerat ipsa, relinquit pauciores dubitationes. Et sic scientia de eadem re est certior quam de multis, licet sit difficilior. Sic etiam scientia de aliquibus rebus descendens ad speciales rationes earum est certior quam esset scientia de istis rebus, scilicet in rationibus communibus earum, ut dicebat Aristotiles primo *Thopicorum* et secundo *Ethicorum*. Et ideo dicunt aliqui quod methaphisica est incertissima, quia tractat de entibus secundum omnes rationes eorum communissimas, at alie scientie descendunt ad speciales rationes eorum.

110 Tamen credo oppositum. sicut apparebit[1] in sexto libro huius, nulla scientia preter methaphisicam considerat de aliqua re *quod quid est* simpliciter, sive in communi sive in speciali. Verbi gratia, geometer non habet scire per geometriam que res est triangulus, que res est *habere tres* ut ipse sciat utrum *habere tres* sit idem quod *triangulus*, et quod *triangulus* ⟨non⟩ sit idem quod *superficies*. Ita etiam naturalis non habet scire per scientiam naturalem quid ⟨sit⟩ homo secundum diffinitionem quiditativam. Et quamvis naturalis sciret quod homo est animal rationale, tamen non habet scire an sit eadem res animalitas et rationalitas. Sed omnia ista debent sciri per methaphisicum. Et ideo methaphisica illo modo est scientia certissima quia alie scientie omnes plures et maiores dubitationes relinquunt de suis scibilibus, quia relinquunt dubium de quiditatibus eorum, habentes solum notitiam de mensuris et operationibus demonstratarum rerum.

35 demonstratarum] demonstrantibus *E*

1 *Metaph.* VI 1, 1025b9–10.

111 Alio autem modo scientia ista dicitur certior a qua altera supponitur. Et sic methaphisica dicitur | certissima, quia omnes scientie sup- E7rb
ponunt firmitatem et corroborationem suorum principiorum a methaphisica. Etiam supponunt a methaphisica quiditates suorum scibilium. Etsi methaphisica supponat aliqua ab aliis scientiis, tamen hoc non est nisi quantum ad modum vel nisi *E* ad processum *quia est*. Sed quantum ad processum *propter quid est* omnes supponunt a methaphisica, que considerat primarias causas et prima principia omnium entium.

112 Alio modo scientia dicitur certa quantum ad modum demonstrandi. Et sic mathematice scientie ponuntur in primo ordine certitudinis. Sed tamen ista non est simpliciter certissima ars, sed ex suppositione quod principia sunt vera, quia illa supponuntur a methaphisica.

113 Ultimo modo scientia dicitur certa propter facilitatem. Et sic alie scientie bene conceduntur esse certiores quam methaphisica.

Ad rationes

114 Ad rationes. Ad primam ⟨dico⟩ quod mathematice ⟨scientie⟩ sunt certiores quantum ad modum demonstrandi, sed non simpliciter, sicut dictum est.

115 Ad aliam dico quod Aristotiles intendebat scientiam de anima esse ponendam in primis, comparando eam ad scientias naturales, sed non ad methaphisicam.

116 Ad aliam conceditur quod methaphisica est difficillima. Et tamen, hoc non obstante, ipsa dicitur bene certissima isto modo quod ipsa pauciores relinquit dubitationes de rebus quam aliqua aliarum scientiarum. Et etiam dicitur certissima quantum ad evidentiam suorum principiorum, si⟨cut⟩ dicitur primo

117 Ad quartam dictum fuit quod methaphisica debet descendere usque ad specialissimas quiditativas rationes entium.

118 Ad aliam dico quod methaphisica bene considerat de pluribus, nec propter hoc dicitur incertior. Sed quando dicit[1] Aristotiles quod illa est ⟨certior⟩ que ⟨est⟩ in paucioribus, debet intelligi et glossari "ex paucioribus suppositis ab alia scientia", idest scientia ista est certior que pauciora supponit. Unde si supponat aliqua (ut dixi heri), hoc est in processu *quia est*. Sed omnes alie scientie supponunt a methaphisica in via *propter quid* quantum ad sua principia et quantum ad quiditates suorum scibilium.

33 heri] hoc(!) *E*

1 *Metaph.* I 2, 982a26–27.

119 Ad ultimam – quia alie sunt solute in questione – dico quod una scientia bene est certior alia, licet quelibet sit sine | formidine, quia non E7va
semper oporteret quod illud quod dicitur, magis vel minus ⟨certum⟩ sit propter immixtionem contrarii. Lumen enim non habet contrarium, et tamen est lumen cum sit permixtum alteri lumini. Similiter Intelligentia est minus bona quam Deus, et tamen nullum gradum habet malitie. Et ita etiam ⟨est⟩ in proposito quod una scientia sit certior alia. Unde dicitur etiam quod alia sit minus certa sine aliquo formidinis, sicut portio maioris circuli est minus curva quam portio minoris, et tamen nichil habet de rectitudine; et ita de multis aliis. Sequitur septima questio.

QUESTIO VIIA: *UTRUM DE REBUS SIT NOBIS CERTA COMPREHENSIO VERITATIS*

120 Utrum de rebus sit nobis certa comprehensio veritatis. Arguitur quod non, rationibus antiquorum. Primo quia: Asinus iudicat sapidum quod iudicamus insipidum, ut cardones. Et asinus bene iudicat, quia naturaliter a tota specie sic iudicat⟨ur⟩, et tale iudicium non est erroneum. Igitur nos male iudicamus. Ideo gustu veritatem non apprehendimus.

121 Item. Canis meliorem habet olfactum quam nos, ut patet[1] secundo *De anima*. Et tamen canis ad olfactum iudicat multa boni odoris et ea per odorem ⟨persequitur⟩, ut cadavera putrida, que tamen nos per olfactum valde abhorremus. Igitur sequitur quod ⟨per⟩ olfactum male iudicamus de odoribus et veritatem non comprehendimus.

122 Item. De multis cibariis et potibus iudicant aliter viri, aliter mulieres, aliter iuvenes, aliter senes, aliter cholerici, aliter flegmatici, ita quod uni sapidum videtur alteri insipidum. Et ita non possumus scire quis istorum recte iudicabunt. Ideo non possumus esse certi de veritate.

123 Item. Eger iudicat amarum quod sanus dulce. Sed tu dices contra: quod sanus melius iudicat, hoc est quia habet organum melius dispositum; et eger errat, quia habet organum minus bene dispositum. Modo si ita est, concludimus quod nullus perfecte bene iudicabit sine aliquo errore, nisi habeat organum perfecte bene dispositum. Et non inveniretur in mille ⟨annos⟩ unus talis. Ideo nostra iudicia per sensum non sunt certa et | non sine errore. E7vb

124 Item. Cum sit de natura agentis agere in passo suam similitudinem, numquam dulce faciet sive in egro sive in sano speciem amaritudinis.

1 *De anima* II 9.

Igitur si eger iudicat amarum, ⟨certum est⟩ quod non erit dulce. Et sic non erat credendum sano iudicanti illud dulce.

125 Similiter arguitur de visu nam: Inter ceteros sensus visus iudicat certius, ut vult Aristotiles in prohemio huius. Ideo si visus multipliciter errat, sequitur quod nullus sensus iudicabit sine errore. ⟨Probo⟩ primo: Visus videt motum in isto quod non movetur, ut si quis moveatur in navi et aspiciat arborem in ripa fluminis, iudicabit arborem moveri. Igitur ad visum percipiet motum, et tamen non percipiet motum suum nec motum navis, quia forte non videbit se nec navem videbit, sed solum aspiciet ad arborem. Igitur iudicabit arborem moveri, cum tamen arbor quiescat.

126 Aliter visus decipitur, quia per aliud et aliud medium apparet alius et alius color, et similiter alia ⟨et alia⟩ nigredo. Verbi gratia, in ortu solis vel in occasu sol apparet ⟨magis⟩ rubeus quam in meridie ⟨et⟩ apparet maior in ortu vel in occasu quam in meridie. Ideo tu non potes esse certus cui istarum apparentiarum sit assentiendum, nisi dicas quod ista non est certa que est in ortu vel in occasu, quia est per medium impurius. Aer enim iuxta terram habet multam commixtionem exhalationum et vaporum ex terra elevatorum, que faciunt solem apparere rubeum.

127 Sed contra quia: Tunc nullum esset iudicium certum et sine errore, nisi medium esset simpliciter purum. Et hoc numquam invenitur in aere nobis coniuncto per quem videmus; semper enim isti aeri iuxta terram sunt commixti vapores vel exhalationes. Igitur per visum numquam habebimus certum iudicium.

128 Etiam tam de coloribus quam de magnitudinibus aliter iudicamus de propinquo, aliter de remoto. Si dices "credendum est iudicio quod fit de propinquo", contra quia: Tunc | esset credendum quod numquam E8ra essent yrides aut nubes, quia qui iret ad locum ubi apparent yris aut nubes, non vide⟨bit⟩ ibi esse yridem aut nubem, sed remote.

129 Item. Colorem numquam iudicamus nec percipimus sine lumine. Et color ⟨in⟩ maiori lumine videtur albior et in minori lumine nigrior. Ideo nos non possumus iudicare per visum qualis sit color secundum se. Et si visus non potest bene iudicare de colore, qui est eius obiectum proprium, multo minus poterit iudicare de aliis.

130 Adhuc visus circa colorem manifeste decipitur, quia iudicabit viriditatem ubi nulla erit viriditas. Verbi gratia, ponatur vitrum croceum ⟨super⟩ vitrum lazureum, et aspiciatur per ambo simili luce: quod est ultra nos, iudicabitur totum viride.

131 Item universaliter: Sensus potest illudi, ⟨ut communiter dicitur. Ideo⟩ prout experitur ratio per sensus, nullam habemus certitudinem.

132 Et confirmatur etiam argumento theologico quia: Speciem quam facit obiectum in oculo tuo, posset Deus perfecte reservare, obiecto remoto, vel similitudinem causare sine tali obiecto; et tunc appareret ibi nec plus nec minus sicut si obiectum esset presens. Modo cum Deus hoc possit, tu non posses scire utrum Deus hoc vult, quia tu non potes scire secreta sue voluntatis. Igitur non potes scire utrum sit ita. Ex quibus concluditur quod tu non potes scire utrum ego loquor vel dormio; utrum sint homines, asini vel lapides. Et ita de nullo tu potes iudicare cum certitudine.

133 Et sicut argutum est de sensu, ita arguitur de intellectu. Primo: Quia cognitio intellectiva dependet ex cognitione sensitiva previa, igitur cum argutum est quod ⟨cognitio⟩ sensitiva non est nobis certa, concludetur quod etiam nec intellectiva.

134 Item. Intellectus non potest moveri a rebus extra, quia movens debet esse nobilius moto et agens passo, ut habetur[1] secundo *De anima*. Et res extra non sunt nobiliores, et tamen intellectus non potest cum certitudine cognoscere res istas nisi moveatur ab eis.

135 ⟨Item⟩. Possibile est quod species antequam perveniant ad intellectum, alienentur in virtutibus mediis, sicut est de habentibus fantasiam lesam, ut in freneticis. Et sic non iudicaret | intellectus bona. Et cum E8rb
intellectus non habeat scire utrum species sint sic alienate, quia non potest iudicare nisi secundum exigentiam specierum ad ipsum pervenientium, ideo intellectus non potest scire utrum vere iudicat.

136 Item. Intellectus non potest esse certus de principiis nisi ⟨per⟩ experientiam previam. Et tamen illa non facit certitudinem, quia si Deus voluisset, omne lignum quod tu tetigisti ipse fecisset calidum quandocumque tu tetigisti. Et tunc ⟨per⟩ experientiam tu ita debes iudicare de omni ligno quod esset calidum, sicut tu iudicas de igni omni; et tamen illud iudicium esset falsum. Igitur experientia non esset sufficiens ad iudicandum universaliter cum certitudine.

137 Item. Sicut arguebat[2] Plato: Si tu quereres servum fugitivum quem numquam cognovisti et ille numquam occurrat tibi, tu non magis capias illum quam unum alium. Ergo similiter: si aliquod principium numquam cognovisti et proponatur tibi, intellectus non magis recipit ipsum quam suum oppositum. Ideo non apparet via quomodo intellectus sit certus de primis principiis.

138 Similiter arguitur de conclusionibus quia: Nec effectus potest sciri ⟨per causam⟩ nec causa per effectum, quia causa includitur in effectu

1 Cfr. *De anima* II 5, 417b20sqq.
2 Plato, *Meno* 80D–E *ap*. Averroem, *In Arist. Anal. Post. comm*. ad *Anal. Post*. I 1, 71a29–30. Cfr. Thomam Aquinatem, *De veritate*, q. 22, art. 1, arg. 10.

nec essentialiter nec virtualiter, cum causa sit maioris entitatis; ideo effectus numquam esset sufficiens representativum cause; sed etiam nec effectus scitur per causam, quia cause sunt nobis minus note, et si sint notiores, hoc nichil facit ad nostram notitiam. Ymo universaliter arguitur quod numquam unum cognoscitur per aliud cum certitudine, quia non est certitudo nisi fiat reductio in prima principia. Sed numquam est contra primum principium de diversis rebus quod hec sit et illa non sit, quia non est ibi contradictio, et tamen primum principium fundatur in contradictione.

139 Ultimo arguitur argumento Eracliti quia: Res, saltem in istis inferioribus, perseverant in continua generatione et corruptione, intantum quod iste fluvius non est hic qui heri erat, quoniam aut aliquid est | E8va additum, aut aliquid remotum. Et sic non est idem totum quod ante. Et nec tu es idem totum quod eras heri, quia aliquid appositum est ex nutrimento, aut aliquid remotum sive corruptum per exhalationem sive evaporationem a calido, intantum (sicut dicit[1] Eraclitus) quod tu non potes bis intrare eundem fluvium. Igitur nec potes vere iudicare de eo, quia antequam feceris iudicium, mutatus est fluvius et non ⟨est⟩ iste de quo tu iudicas.

140 OPPOSITUM arguitur[2] per Aristotilem dicentem quod theorica veritatis quodammodo est nobis facilis, quodammodo difficilis. Igitur non impossibilis. Item. Sicut Commentator arguit,[3] ad cognitionem veritatis habemus desiderium naturale; omnes enim homines naturaliter scire desiderant. Et illud desiderium naturale esset frustra, si non possemus attingere veritatem. Modo hoc est inconveniens, quia Deus et natura nichil frustra faciunt, ut videtur[4] primo *Celi*.

SOLVITUR QUESTIO

141 Propter solutionem questionis mote nota quod uno modo veritas est idem quod rei entitas, et etiam ⟨quod⟩ apud intellectum nostrum est dare veritatem incomplexam. Sed de istis veritatibus nichil est considerandum adpresens. Alia est veritas complexa, que nichil aliud est quam propositio vera mentalis. Ideo comprehensio veritatis non est aliud nisi comprehensio propositionis. Et huismodi comprehensio pot-

6 nisi fiat] non fiet *E*

1 *Fragm*. 22B 91 Diels.
2 *Metaph*. II 1.
3 AVERROES, *In Arist. Metaph*. II 1 *ad loc*.
4 *De caelo* I 4, 271a33.

est esse pro formatione huius propositionis vere. Alio modo potest capi pro assensu quo assentimus propositioni vere. Si ergo 'comprehensio veritatis' sumatur pro formatione propositionis vere, certum est quod illa est nobis possibilis, quia nos possumus formare tam propositionem veram quam falsam, quia possumus formare contradictionem, cuius necesse est aliam partem esse veram et alteram esse falsam. Similiter si 'comprehensio veritatis' accipiatur pro assensu quo assentimus propositioni vere, adhuc certum est quod ipsa est nobis possibilis, quia de facto quilibet assentit naturaliter propositionibus veris.

De firmitate veritatis et firmitate assensus

142 Sed dubitatio est quomodo iste assensus possit nobis fieri certus. Et ad hoc declarandum nota quod certitudo assensus proprie loquendo requirit duo, scilicet firmitatem veritatis | et firmitatem assensus. Dico E8^{vb} firmitatem veritatis, quia propositioni false non possumus cum certitudine assentire; et si sit propositio contingens, non possumus etiam certi esse de ea, saltem ut!! absit res ab aspectu nostro. Dico etiam quod requirit firmitatem assensus quod ⟨si⟩ nulla sit propositio penitus ⟨certa sine⟩ formidine ad oppositum, numquam diceretur certitudinaliter assentiri isti propositioni, loquendo proprie.

143 Primo ergo dicam de firmitate veritatis. Et dico quod quedam est firmitas veritatis simpliciter, ita quod nullo casu proprie potest falsificari. Alia est veritatis firmitas secundum naturam, non tamen simpliciter, scilicet quia propositio per nullum casum naturaliter possibile⟨m⟩ possit falsificari, cum ⟨tamen⟩ per casum supernaturalem, scilicet miraculose possit falsificari. Et dico quod utraque firmitas veritatis est possibilis. Primo modo ille sunt firmiter vere: 'Deus est', 'Deus est bonus', 'Deus est omnipotens', et sic de aliis. Hee enim propositiones per nullum casum possunt falsificari, dico propositiones mentales. Sed etiam nec vocales, stante eadem impositione et significatione vocum sicut nunc est. Sed secundo modo sunt firmiter vere: 'Celum movetur', 'Homo est animal', 'Asinus est animal', et sic de multis talibus, quas naturales concedunt esse necessarias.

144 Tunc dico de firmitate assensus. Videtur michi quod assensus possit esse firmus tribus modis. Uno modo ex nobilitate, alio modo ex evidentia, tertio modo ex apparentia. Primo dico ex nobilitate absque hoc quod habeatur ratio faciens apparere. Et sic fideles firmiter et sine quacumque formidine de opposito debent assentire articulis fidei. Et

33 firmitate] veritate *E* 35 evidentia] assensu *E*

nos experimur quod ista firmitas assensus est possibilis, quia propter eam et sancti et heretici volunt mori in sua credulitate tamquam firmiter assentientes, sancti tamen veris, et heretici falsis.

145 Alia est firmitas assensus ex apparentia sive ex ⟨apparenti⟩ evidentia. Et illa est etiam possibilis, quia sicut dicit[1] Aristotiles septimo *Ethicorum*: "et non minus credunt et adherent hiis que opinantur quam hiis qui sciunt". Sepe enim contingit quod homo habet opinionem falsam propter rationem falsam, | quam tamen reddit simpliciter demonstrativam. Et sic credit illud scire et assentit ei sine formidine. E9ra

146 Tertio modo firmitas assensus est ex evidentia. Tunc oportet videre quid vocamus evidentiam. Et credo quod evidentia est quando est talis apparentia quod sensus vel intellectus per naturam suam potest istis assentire et non potest eis dissentire. Et hoc potest esse dupliciter. Uno modo simpliciter, alio modo ex suppositione, scilicet quod non sit miraculum, scilicet quod omnes res naturali suo cursu proceda⟨n⟩t. Et certum est quod prima evidentia bene est possibilis. Sic enim hoc cogitanti est evidens quod tu es aut quod tu cognoscis. Et sic etiam est tibi evidens primum principium, quia non est possibile ei dissentire, ut dicetur quarto huius. Sic etiam est tibi evidens quod si asinus currit, asinus movetur, posito quod tu cognoscas terminos.

147 Sed de secundo modo evidentie multa principia supposita in scientia naturali sunt nobis evidentia, ut quod ignis est calidus. Et sufficit ad hoc experientia multa. Ex eo enim semper ignem invenimus ⟨calidum⟩, numquam frigidum, intellectus noster debet cogi ad credendum quod omnis ignis est calidus, nisi miraculose Deus subtraheret ab eo caliditatem.

De certa comprehensione veritatis

148 Et sic tandem dicendum est quod nobis est possibilis certa comprehensio veritatis, sumpta sub certa conditione quod non concurrat miraculum. Que quidem certitudo sufficit ad scientias naturales, ut si ⟨naturales⟩ naturaliter loquentes dicunt se scire cum certitudine et certa evidentia quod ex nichilo nichil fieri potest, ⟨vel⟩ quod est im-

4 firmitas] veritas *E* 25 numquam] eum *E*

1 Cfr. *Eth. Nicom.* VII 5, 1146b29–30, *quae autem verba a nostro auctore perperam traduntur*. TRANSLATIO MOERBECKIANA: "Quidam enim credunt nichil minus quibus opinantur quam alteri quibus sciunt". Cfr. THOMAM AQUINATEM, *In Arist. VII Eth. Nicom. Expos.*, comm. 1337: "Quidam enim non minus adhaerent opinionibus, etiam falsis, quam alii scientiae verae".

possibile accidens esse sine subiecto. Sed quando dicunt, ipsi debent intelligere quod ibi sit certitudo et evidentia non simpliciter, sed ex suppositione predicta. Que quidem certitudo et evidentia querenda est in naturalibus tamquam evidens.

Ad rationes

149 Istis visis, potest responderi faciliter ad omnes rationes. Ad primam quod aliquid est sapidum asino quod nobis est insipidum. Et est utrumque verum, quia per 'sapidum' hic intelligimus quod sit saporis convenientis gustanti, et per 'insipidum' quod sit | saporis disconvenientis E9^{rb} gustanti. Modo idem sapor est conveniens asino et disconveniens homini propter diversas naturas et complexiones asini et hominis.

150 Similiter dico de cane, concedendo quod acutius odorat quam homo, qui non percipit ⟨res⟩ minoris odoris et a remotiori; et concedendo quod idem odor est nobis abhominabilis et cani conveniens propter diversas naturas et complexiones hominis et canis. Unde homo vere iudicat iudicando istum odorem et cibum cuius est iste odor, esse tibi naturalem et disconvenientem cani, et vere iudicat iudicando sibi istum esse convenientem. Et eodem modo est dicendum de viris et mulieribus et iuvenibus et senibus.

151 Ad aliam dico quod credendum est iudicio sani et non iudicio egri. Et concedo quod hoc est quia sanus habet organum melius dispositum. Sed ⟨quando⟩ tu obicis quod tunc non erit perfecte iudicium verum sine errore nisi organum sit summe bene dispositum, dico quod ymo, quia sepe iudicamus in confuso sine perfecta discretione graduum. Verbi gratia, sani omnes de isto melle ⟨iudicant⟩ quod esset dulce et de felle quod esset amarum, et omnes iudicant verum simpliciter. Sed concedendum est quod isti qui haberent organum magis bene dispositum, magis possunt distinguere inter gradus dulcedinis et amaritudinis. Verbi gratia, nos omnes dicimus illud vinum esse bonum et inter duo vel tria veram nosceremus percipere differentiam, quam percipiunt multi habentes gustus perfectiores. Sed quando dicitur ultra quod numquam dulce faciat speciem amari sive in sano sive in egro, concedo. Et ideo dico quod eger secundum rei veritatem sentit amaritudinem, sed decipitur, quia credit istam amaritudinem esse istius cibi. Sed tamen non est ita, ymo est humoris corrupti annexi lingue sue qui in assumendo consumitur | et commiscetur sapori istius cibi. E9^{va}

13 qui] et *E* 22 obicis] concedis *E*

152 Ad aliam dico quod visus sepe vere iudicat et cum certitudine. Et ⟨cum⟩ aliquando decipitur, intellectus per rationem corrigit errorem. Sed ⟨cum⟩ tu queris de arbore viso in littore, utrum ille iudicans arborem moveri videat motum, ego dico quod non. Sed tamen certum est quod arbor continue se habet aliter et aliter ad oculum secundum situm, sicut si oculus quiesceret et arbor moveretur. Et virtus estimativa interior per hoc quod sensus sibi reportant secundum alium et alium situm, iudicat motum esse, et cum credat oculum quiescere, iudicat quod motus est in arbore et decipitur. Unde ratione et cum certitudine iudicat quod aliter se habet arbor ad oculum secundum situm secundum prius et posterius, sed per cuius motum hoc fit decipitur.

153 Ad aliam concedo quod per aliud et aliud medium apparet color alius et alius sepe. Sed debemus credere apparentie que fit in medio satis puro. Nec oportet medium omnino esse purum – sicut non oportebat organum summe bene esse dispositum –, quia cum certitudine possumus iudicare quod est album vel rubeum, licet non discernamus, possumus tamen in extremo gradu. Unde ego concedo quod ad perfectissime distinguendum gradus coloris oporteret et organum et medium summe bene esse dispositum. Et ideo hoc pauci sentiunt, sicut diceretur de saporibus.

154 Dico etiam quod melius iudicamus aliquid visum de satispropinquo quam de nimis a remoto, specialiter si visibile sit sufficienter apparens ad bene terminandum visum. Sed si non est terminatio visus ita quod ⟨non⟩ stat apparentia sufficiens nisi ad spatium remotum, ideo nubes et yrides non apparebunt nisi ad spatium remotum. Quamvis enim hic perpetue sint vapores annexi aeri sicut remote, tamen non apparet ad spatium remotum quod hic sint nubes, quia isti vapores prope te non sufficiunt | ad terminandum visum tuum, sed isti vapores cum aliis E9vb
remotis usque ad certam distantiam sufficiunt ad terminandum visum. Et tunc apparet nobis ad aliam distantiam cum ista prope te sicut illic.

155 Ad aliam concedo quod color non videtur sine lumine et quod apparet albior vel clarior in maiori lumine. Ideo concedo quod difficile vel impossibile est distinguere perfecte inter gradus coloris. Sed hoc non obstante, iudicamus vere et cum certitudine quod hoc est album sine minori et sine maiori lumine.

156 Ad aliam dico quod color viridis resultat et componitur ex croceo et lazureo sive pallido. Et ideo concessi quod visus potest decipi propter compositionem colorum adinvicem, cum vere iudicat quod est color. Et de uno simplici per se vere iudicaret.

7 reportant] reputantur *E* 21 de satis] densatis(!) *E* 23 terminatio] determinatio *sic saepius E* 31 color] lumen *E*

157 Ad aliam dicendum quod sensus possunt illudi, non ita quin de aliquibus vere iudicent et cum certitudine, licet deficiat ubi res est, vel quanta est, vel si est eadem res que prius; et sic de multis aliis.

158 Ad aliam, quod Deus posset reservare sensus, dico quod ille est casus supernaturalis. Ideo concedetur quod Deus posset facere quod tibi apparerent esse asini ubi non essent asini. Tamen ⟨hoc⟩ non obstante, tu evidenter et cum certitudine cognoscis quod scribis, loquendo de evidentia et certitudine sufficientibus ad scientiam naturalem.

159 Ad aliam dico quod per intellectum cognoscimus cum certitudine quod intellectus movetur a rebus. Et dico quod non oportet omnem motorem esse omni moto nobiliorem, sed tamen oportet ad omnem actionem concurrere aliquod agens quod sit nobilius passo.

160 Ad aliam dico quod numquam possunt sic species alienari quin intellectus iudicet cum certitudine de primo principio. Et homo etiam bene percipit quando est sanus. Et tunc scit quod species non sic alienantur quin intellectus possit per eas recte iudicare.

161 Ad aliam dico quod istis principiis cum certitudine assentimus sine experientia previa, ut primo principio. Et si aliqua | indigeant E10ra ecperientia previa, tamen ista experientia sufficit ad certitudinem vel evidentiam naturalem, sicut arguebatur.

162 Ad rationem Platonis dicitur quod intellectus per suam naturam est determinatus ad assentiendum primis principiis, sicut ignis ad calefaciendum. Sic autem non de persequente servum fugitivum.

163 Ad aliam dico quod effectus gerit quandam similitudinem cause in se; ideo potest causam representare. Ideo per effectum potest intellectus causam cognoscere *propter quid* effectus est. Unde quamvis effectus sit nobis notior quantum ad *quia est*, tamen causa est nobis notior *propter quid* effectus est. Dico etiam quod aliquid potest per aliud cognosci propter habitudines et dependentias naturales rerum adinvicem. Nec oporteret omnes veritates reducere ad primum principium, ymo, sicut declaratur[1] in libro *Posteriorum*, tot vel pene tot sunt principia indemonstrabilia quot sunt conclusiones indemonstrabiles. Quibus intellectus assentit aut propter experientias gradus, aut propter inclinationem naturalem eius ad veritatem.

164 Ad ultimam dico quod quamvis res sint in continua generatione et corruptione, tamen possumus de ea veritatem cognoscere, scilicet quod res muta⟨n⟩tur, quod ille res non sunt ille que heri erant, quod

23 servum] cervum(!) *E* 27 notior] *Ec* notitia *E* 30 nec] ut *E*

1 Cf. *Anal. Post.* I 28, 87a28 sqq.

hoc est album vel nigrum, quod omnis homo est animal; et sic de aliis. Ideo ista opinio non destruet certitudinem veritatis. Sequitur 8a questio.

QUESTIO VIIIA: *UTRUM NOS POSSUMUS INTELLIGERE PRIMAM CAUSAM*

165 Utrum nos possumus intelligere Primam Causam. Arguitur quod non. Primo quia: sicut oculi nocticoracis habent se ad lumen solis, ita intellectus noster ad primas causas, ut dicit[1] Aristotiles. Sed oculi nocticoracum non possunt apprehendere lumen solis. Ideo non volant nisi de nocte. ⟨Igitur⟩ etc.

166 Item. Prima Causa non est sensibilis. Nec cadit sub fantasmate. Igitur non est intelligibilis. Consequentia probatur quia: Omnis cognitio nostra intellectiva dependet | a sensitiva; et quia intelligentem quod- E10rb
cumque necesse est fantasmata speculari, ut dicitur[2] tertio *De anima*, igitur etc.

167 Item. Non possumus intelligere illud ad quod non extendit se sensibilis operatio intellectus agentis. Sed operatio intellectus agentis non se extendit ad Primam Causam, quia eius operatio est abstrahere a fantasmatibus, et iam dictum est quod Deus non cadit sub fantasmate. Igitur.

168 Item. In libro *De causis* dicitur[3] quod Prima Causa est inenarrabilis et est super omne nomen quo nominari potest. Modo tale non potest ab intellectu nostro apprehendi, quoniam quidquid intelligimus, ipsum possumus variare et ei nomen imponere.

169 Item. Prima ⟨Causa⟩ est infinita, ut apparet[4] in duodecimo huius et in octavo *Phisicorum*. Sed infinitum non possumus intelligere, quia primo *Phisicorum* dicitur[5] quod infinitum secundum quod infinitum est ignotum; propter hoc etiam dicitur[6] in illo secundo quod res non essent scibiles, si essent earum cause infinite. Igitur.

170 Item. Si ipsam intelligeremus, aut ipsam intelligeremus statim totaliter, quia tunc post primam conclusionem non indigeremus inquire⟨re⟩

1 *Metaph*. II 1, 993b9–11.
2 *De anima* III 7, 431a16–17.
3 *De causis*, prop. 6a.
4 Cf. *Metaph*. XII 6, 1072a7–7, 1072a26; *Physica* VIII 10.
5 *Physica* I 4, 187b7–8.
6 *Metaph*. II 2, 994b27–30; cfr. XI 8, 1065a32–35.; *Anal. Post*. I 3, 72b8 sqq.; I 19, 81b33 sqq.; I 34, 86a4–10.

alias conclusiones de ipsa, quod tamen est falsum, ⟨aut cognosceremus eam partialiter solum; sed non potest dici 'partialiter solum', quia nullam partem habet. Igitur⟩.

171 Item. Plus distat Deus ab intellectu nostro quam intellectus noster a sensu. Sed sensus non potest ascendere ad cognitionem intellectus nostri. Nec ⟨igitur⟩ ad cognoscendum Deum.

172 OPPOSITUM intendit Aristotiles, qui dicit[1] methaphisicam esse circa primas causas et in duodecimo laborat ad dandum scientiam de Deo. Dicit[2] etiam quod "oculis nocticoracum etc.". Sed constat quod oculi nocticoracum possunt percipere lumen solis, licet cum difficultate.

SOLVITUR QUESTIO

173 Nota quod in hac questione non querimus de notitia que erit post mortem, quia hec pertinet ad aliam facultatem, sed querimus de notitia quam possumus in hac vita nobis ex naturalibus acquirere per studium vel per rationem.

174 Tunc dico quod nos possumus Deum agnoscere. Quod patet, quia multas | conclusiones demonstravit Aristotiles quarum termini suppo- E10va
nebant de ipso Deo. Quod non fuisset possibile nisi Deum intellexisset.

175 Ad idem adducit[3] Commentator rationes quoniam: Illud oportet nos intelligere in cuius intellectione consistit nobis magna felicitas. Sed hoc est in intellectione Dei, ut apparet[4] decimo *Ethicorum*. Igitur.

176 Item. Illud est appetibile ad quod nos habemus naturale desiderium. Sed ad intelligendum Deum habemus naturale desiderium, quoniam si homines naturaliter scire desiderant, rationabile est quod naturaliter scire desiderant scientiam maximorum et a nobis maxime distantium scibilium. Cuius⟨modi⟩ distant prime cause etc.

177 Si non possumus intelligere Primam Causam, sequitur quod natura otiose aliquid fecisset, quia fecisset summum intelligibile non intellectum ab intellectu nostro. Modo inconveniens est dicere quod natura faciat aliquid otiose. ⟨Igitur etc.⟩. Verum est quod ista ratio est dubitabilis et prima facie apparet inepta, quia: Aliquid non dicitur frustra vel otiosum nisi quod est ordinatum ad aliquem finem et non attingit ad istum. Primum autem Intelligibile, scilicet Deus, non ordinatur

1–3 aut … igitur] *coll. LU* 26 distantium] nobiliorum *E*

1 Cfr. e.g. *Metaph.* VI 1, 1025a28–b23; XI 7, 1064a28–b2.
2 *Metaph.* II 1, 993b9–11.
3 AVERROES, *In Arist. Metaph. comm.*, *ad locum*.
4 *Eth. Nicom.* X 7, 1177b27–34.

ad alium finem, sed est solum sui ipsius gratia. Ideo non esset frustra quamvis non intelligeretur ab alio. Etiam non esset frustra, licet omnia alia essent annichilata.

178 Et sine dubio Commentator male dicebat si intendebat quod natura fecisset Deum frustra, quia nec Deus esset frustra licet omnia alia essent annichilata, ut dixi. Et si esset frustra, tamen natura non fecisset eum. Ideo videtur quod sic non intendebat, sed intendebat quod natura aliquid fecisset frustra, quia fecisset intellectum nostrum frustra a suo fine, scilicet a sua felicitate, que consistit in intellectione ipsius Dei. Et hoc est bene dictum.

De quadam dubitatione

179 Circa istam questionem est dubitatio utrum possumus intelligere Deum quantum ad eius quiditatem. Et beatus Thomas tenet[1] quod licet intelligamus | eum quantum ad esse, tamen ex naturalibus non E10vb possumus ascendere ad notitiam sue quiditatis. Quod ipse intendit probare quia: Non possumus Deum cognoscere nisi a posteriori, scilicet per effectus posteriores. Sed talis notitia non est nisi notitia *si est* vel *quia est*, ut patet[2] in libro *Posteriorum*. Igitur non possumus ipsum cognoscere quiditative.

180 Et confirmatur quia: Non possumus ipum cognoscere intuitive nec per propriam ⟨speciem⟩ nec a priori. Et notitia quiditativa non est nisi sit intuitiva vel per propriam speciem, vel saltem a priori.

181 Item. Videamus duos in illo mundo sapientissimos. Illi duo habebunt de istis sensi⟨bili⟩bus multas opiniones contradictorias. Ergo multipliciter unus, vel uterque erit deceptus circa ista sensibilia. Sed indubitanter multo maior est difficultas circa Deum et Intelligentias quam circa illa inferiora. Ideo non est credendum si aliquis laborat ad intelligendum Deum quiditative quin ipse multipliciter decipiatur.

182 Item. Ista inferiora cum sint ⟨finita⟩, nullam habent proportionem ad ipsum Deum, qui est infinitus. Igitur nullo modo sufficiunt ad representandum notitiam Dei.

183 Item. Non est credendum quod intellectus noster posset ascendere ad totam notitiam Dei quantam ipse habet. Et tamen Deus de seipso non habet notitiam que excedit notitiam sue quiditatis. Igitur ad notitiam sue quiditatis non possumus ascendere.

1 Conferas *S. Th.* Ia, q. 2, art. 2.
2 *Anal. Post.* II 1.

De notitia quiditativa Dei

184 Tamen credo oppositum, quoniam quiditas Dei non est aliud nisi ipse Deus vel non est aliud quam ipsum predicatum quiditativum. Si ergo capiamus 'quiditatem' Dei pro ipso Deo, tunc statim manifestum est quod quiditatem Dei intelligimus exquo ipsum Deum intelligimus. Si ergo capiamus 'quiditatem' pro predicato quiditativo, tunc intelligere Deum quiditative non est aliud quam ipsum intelligere secundum conceptus quiditativos a quibus sumuntur predicata quiditativa. Sed hoc est possibile quia: Deum scimus esse ens, Deum scimus esse substantiam, Deum scimus | esse Deum. Et tamen ista predicata 'ens', E11ra
'substantia', 'Deus' non sunt quiditativa de Deo sicut ista essent de homine 'ens', 'substantia', 'homo', ymo sine dubio verius et magis proprie dicitur ⟨Deus⟩ ens vel substantia quam homo dicitur ens. Ideo si homo quiditative dicitur ens vel substantia, ita diceretur Deus. Igitur Deum quiditative cognoscimus.

185 Verum est tamen quod si per cognitionem quiditativam tu velles intelligere notitiam intuitivam vel notitiam ex prioribus causis, tunc concederem quod ex naturalibus non possemus Deum quiditative cognoscere. Et voco adpresens notitiam intuitivam que fit per presentiam obiecti sine discursu ex notitia ⟨obiec⟩ti. Constat enim quod sic non possumus intelligere ipsum Deum, quia non cadit sub sensu. Ideo sensus non potest in intellectu causare speciem representantem determinate ipsum Deum. Ideo oportet quod ad notitiam Dei veniamus per discursum ex aliis prioribus notitiis.

186 Similiter etiam concederem quod si per notitiam quiditativam tu velles intelligere notitiam simpliciter perfectam, tunc non possemus habere notitiam quiditativam Dei, quia solus ipse cognoscit seipsum simpliciter et perfecte. Ymo de nulla re mundi haberes notitiam ⟨quiditativam⟩, quia nullus cognoscit aliquam rem simpliciter ⟨et⟩ perfecte nisi solus Deus. Unde homo non habet in se aliquid simpliciter perfectum, licet habeat perfectum in suo genere.

Ad rationes beati Thome

187 Nunc breviter solvende sunt rationes beati Thome. Ad primam dico quod ex posterioribus possumus devenire ad notitiam quiditativam, unde in tertio[1] *De anima* accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum *quod quid est*. Et quando dicitur quod notitia a poste-

1 *De anima* III 8.

riori non sit nisi *si est* vel *quia est*, dico quod verum est ⟨de⟩ notitia demonstrativa, quia notitia quiditativa non est de necessitate notitia demonstrativa, unde *quid est* scitur non per demonstrationem, sed per diffinitionem.

188 Ad aliam, quando dicitur quod ⟨Deus⟩ non cognoscitur | intuitive E11rb
nec a priori, concedo. Et ⟨si⟩ tu dicis "non cognoscitur ⟨intuitive⟩, si per propriam speciem posset probari", dicitur quod ymo, si per 'propriam' intelligamus idem quod 'proprium representativum' vel 'propriam intellectione⟨m⟩'. Nam intellectio a qua sumitur iste terminus 'deus' est propria Dei intellectio. Unde Philosophus communiter tenet quod virtus cogitativa vel estimativa potest ex speciebus sensatis elicere speciem non sensatam, ⟨sicut⟩ intellectus ex colore et motu lune eligit speciem in mente. Idcirco credendum est quod intellectus ex sibi datis ex sensu ymaginativo potest virtus sensitiva elicere species et representationes sensibilium et ymaginabilium.

189 Ad aliam, quando dicitur quod sapientissimi decipiuntur circa ista sensibilia, concedo in multis conclusionibus [vel questionibus]. Sed tamen multa faciunt cum certitudine et quantum ad predicata quiditativa et quantum ad alia. Ideo etc. ⟨Etiam⟩ concedo quod in multis deciperentur circa divina. Sed hoc non obstat quin et in multis dicant verum cum certitudine et quantum ad predicata quiditativa et quantum ad alia.

190 Ad aliam concedo quod ⟨sicut⟩ ista inferiora nullam determinatam proportionem habent ad ipsum Deum in quantitate perfectionis, ita etiam nec accidentia ad substantiam, ymo nec asini ad homines. Unde 100.000 asineitates non pervenirent ad perfectionem humanam. Et ideo talis proportio non requiritur ad hoc quod intellectus ex notitia unius discurrat ad notitiam alterius. Dico etiam quod sufficiens est habitudo quoad hoc istorum inferiorum ad ipsum Deum. Que est habitudo ad suam causam necessariam.

Ad rationes principales

191 Ad rationes principales dico quod ista similitudo de oculis nocticoracum non ponebatur ad innuendum impossibilitatem, sed difficultatem.

192 Ad aliam dico quod non oportet quod omne quod intelligitur | E11va
sentitur vel fantasiatur. Tamen bene oportet quod nostre intellectioni precedat sensatio et fantasiatio. Et sic intelligentem quecumque necesse est speculari fantasmata previa, ex quibus tamen per discursum possumus elicere notitias insensibilium.

12 intellectus] omnes *E*

193 Ad aliam dico quod ista operatio intellectus agentis que ab aliquibus vocatur *abstrahere*, non est aliud quam active efficere intellectionem. Et aliqui dicunt quod est abstractio a fantasmatibus. Quod non est verum nisi ad illum sensum quod oportet fantasmata esse previa.

194 Ad aliam concedo quod magnitudo perfectionis Dei magis excedit intellectum nostrum quam intellectus noster sensum. Et concedo quod sensus noster non cognoscat intellectum. Sed ex istis nulla conclusio infertur, quia in istis premissis nec est bonus sillogismus nec aliqua figura.

195 Ad aliam – que fuit auctoritas[1] quod Deus est inenarrabilis et super omne nomen –, et hoc debet sic intelligi quia nullus est qui ad eius notitiam simpliciter perfectam possit venire, quia, sicut diceretur, solus Deus potest se intelligere simpliciter et perfecte.

196 Ad aliam concedo quod Deus est perfectione infinitus et duratione. Et ideo impossibile est cognoscere mensuram determinatam sue perfectionis, ita quod eius perfectio vel duratio esset a nobis mensurabilis. Unde sic intelligitur quod "infinitum secundum quod infinitum est ignotum etc.", scilicet quod non potest sciri secundum certam mensuram quantum est. Si etiam sunt infinita secundum enumerationem, non possunt cognosci determinate quot sunt. Tamen de infinitis habemus multas alias scientias et cognitiones.

197 Ad aliam dico quod Deus totus cognoscitur quando cognoscitur, et non pars post partem. Tamen non statim cognoscuntur omnia predicata sibi attribuibilia, ymo partialiter ⟨aliqua⟩ prius, aliqua postea. Expliciunt.

QUESTIO 2A: *UTRUM AD METHAPHISICUM SPECTAT DEMONSTRARE STATUM IN CAUSIS*

198 Utrum ad methaphisicum spectat demonstrare statum in causis. Arguitur quod non quia: Quod pertinet ad phisicum, non pertinet ad methaphisicum. Sed ad phisicum spectat demonstrare stuarum in causis, ut apparet in septimo *Phisicorum* ubi Aristotiles demonstrat[2] statum in causis moventibus. Item. Ad illum spectat demonstrare statum in causis ad quem spectat demonstrare et invenire Primam Causam. Sed E11^{vb}

26 expliciunt] UTRUM AD methaphisicum SPECTAT DERE(!) *add. E*

1 *Liber de causis*, prop. 6a.
2 *Physica* VII 1.

hoc pertinet ad phisicum et non ad methaphisicum. Igitur. Maior manifesta est quia: Ista consequuntur se adinvicem, scilicet *esse Primam Causam* et *esse statum in causis*, vel etiam *non esse Causam Primam* et *non esse statum in causis*. Minorem probo per Commentatorem[1] in principio octavi *Phisicorum* quod methaphisicus presupponeret a phisico primum motorem esse et quod nullus nisi phisicus potest demonstrare primum principium esse; et quod Avicenna erravit in hoc quod credidit oppositum. Confirmatur quia: Per octavum *Phisicorum* inventus est primus motor. Et primus motor est prima causa. Igitur per phisicam invenitur prima causa.

199 OPPOSITUM arguitur per Aristotilem secundo huius, qui nititur[2] demonstrare statum in quolibet genere causarum. Item. Aristotiles multas demonstrationes facit de prima causa, scilicet de Deo. Et ille non sunt demonstrationes *propter quid*. Igitur sunt demonstrationes *quia est*. Et sic ibi demonstratur primam causam esse.

SOLVITUR QUESTIO

200 Ista questio formata est, quia de ipsa fuerunt contrarii Commentator et Avicenna.[3] Commentator enim credidit quod solus phisicus potest demonstrare primum principium esse, et Avicenna credidit quod hoc pertineret ad methaphisicum. Modo idem est iudicium de hoc quod est primam ⟨causam⟩ esse et de hoc quod esse statum in causis. Et videtur michi quod in hoc Avicenna melius locutus est.

201 Ad cuius evidentiam sciendum est quod differenter phisicus et methaphisicus debent considerare causas et de causis, quia phisicus non considerat de causis nisi secundum quod sunt in movendo vel transmutando. Sed methaphisicus considerat ⟨…⟩[4]

25 nisi] ut *E*

1 AVERROES, *In Arist. Physicam Comm*. ad VIII 1.
2 *Metaph*. II 2.
3 AVICENNA, *Metaphysica*, tr. 1, cap. 1 ed. VAN RIET, p. 13,47–48; AVERROES, *In Arist. Phys. Expos*. I, comm. 83, ad *Phys*. I 9, 192a35–b7.
4 Hic codex noster nonnulla folia desiderare videtur. Textum supplere conatus sum coll. *Lectura ultima*.

⟨QUESTIO 3A: *UTRUM SIT PROCESSUS IN INFINITUM IN CAUSIS*

202 …….⟩. ⟨Item de causis finalibus videtur[1] Aristoteles primo *Politicorum* concedere infinitatem. Ibi enim dicit quod natura con⟩cupiscentie | infinita est. Ad cuius repletionem multi vivunt. Et ibidem etiam E12ra
dicitur quod divitiarum nullus ponitur terminus.

203 Arguitur etiam de causis efficientibus simul subordinatis se invicem moventibus quia: Infinita est divisio ipsius gravis. Et cum quelibet pars superior agat in inferiorem movendo eam similiter, magnum grave si solum quelibet pars moveretur a se, non moveretur velocius quam parvum grave. Et sic infinita sunt agentia simul subordinata.

204 OPPOSITUM patet per Aristotilem in illo secundo. Et arguitur: Si alicui rei essent infinite cause, ista res non esset scibilis. Quod est inconveniens. Consequentia probatur quia: Infinita non essent scibilia. Et tamen res non scitur, saltem perfecte, nisi sciantur omnes sue cause.

De quibusdam distinctionibus et conclusionibus

205 Ad istam questionem ponende sunt distinctiones. Una ponitur quod quedam sunt cause per se, alie sunt cause per accidens. Et hoc potest intelligi duobus modis. Uno modo quod perseitas attenditur in predicando, alio modo quod attenditur in dependendo. Tunc ponitur prima conclusio quantum ad predicationem. Que ⟨est *Ec*⟩ talis. Non est determinatum quot predicata causalia dicantur per accidens de aliquo subiecto. Hoc potest exemplariter declarari. Possibile enim est quod domus fit ab albo, ⟨vel⟩ fit a parvo, et sic de aliis predicatis. Quorum predicatorum non est ibi certus numerus; propter hoc dicit[2] Aristotiles quod uni infinita possunt accidere ad istum sensum. Ergo solet dici quod eiusdem sunt infinite cause per accidens. Et sicut dixi de causa efficiente, ita potest exemplari de causa materiali. Si enim domus fiat ex fundamento, parietibus et tecto, possibile est quod ipsa sit ex albis, ex mollibus, ex duris, ex hiis que accidunt petris, et sic de aliis. Quorum ibi non est certus numerus. Ideo non est determinatum quot causalia sunt predicata.

3–4 ⟨Item … con⟩] *coll.* LU

1 *Politica* I 9.
2 Cfr. *Metaph.* XI 8, 1065a24–26.

206 Secunda conclusio: Quod determinatum est tibi vel potest esse quot predicata causalia dicantur per se de aliquo subiecto, quia aliter res non essent scibiles, saltem perfecte, quia non habemus causalem scientiam de aliquo perfecte subiecto donec | fiant de eo nobis nota E12rb omnia predicata per se causalia. Sic enim debet intelligi quod ad notitiam perfectam causati oportet omnes per se causas cognoscere.

207 Nunc deveniamus ad perseitatem in dependendo. Et potest esse dependentia vel solum in fieri, vel in essendo. Dico sic in essendo quod impossibile sit talem effectum esse nisi ab ista causa dependeat in esse; et quando ita est, nos vocamus causas et causata essentialiter subordinata. Si non sit possibile quod ille effectus sit vel etiam maneat sine tali causa, tunc causas et causata nos vocamus accidentaliter subordinata.

De duabus aliis conclusionibus

208 Et tunc iterum ponuntur due conclusiones. Prima est quod ⟨si⟩ secundum opinionem Aristotilis ponitur mundum esse perpetuum, concedendum est processus in infinitum in causis accidentaliter subordinatis. Hoc enim probatur de patre tuo et de patre patris, et sic in infinitum; et sic etiam de aliquo igne qui fuit ab alio et ille ab alio, et sic in infinitum.

209 Alia conclusio ponitur quod in causis essentialiter subordinatis numquam est processus in infinitum. Quod intendit[1] Aristotiles probare in secundo libro huius, supponendo quod in talibus causis posterior dependet necessario ex priori in essendo et in causando, ita quod nec esset nec causaret posterior nisi prior simul esset et causaret. Supponitur etiam quod si essent infinite ⟨cause⟩, nulla esset prima. Ideo omnes essent medie inter effectus posteriores et causas priores.

SOLVITUR QUESTIO

210 Tunc et sic: Si essent infinite cause subordinate essentialiter, sequitur quod nulle essent et nulle causarent. Modo hoc implicat contradictionem contra positionem. Probatur consequentia quia: Nec una media, nec due medie simul, ymo nec omnes medie simul habent ex se potestatem essendi vel causandi nisi alia etiam causet. Modo nulla esset prior omnibus. Ideo nullo modo haberent potestatem causandi.

1 *Metaph*. II 2; conferas. XI 10.

211 Item. Ista videtur ratio Aristotilis que forte – nisi valeat gratia materie – non posset sustineri | gratia forme, quia sic possem arguere E12va de partibus continui quoniam: Nulla est pars que posset esse nisi essent alie partes eius. Et constat quod secundum infineitatem! divisionis non est devenire ad unam partem. Tunc ego sic arguerem. Nec una pars, nec due partes, ymo nec omnes partes simul que non sunt medie, non possunt esse nisi essent alie partes minores omnibus suis partibus. Ideo videtur quod nulla possit esse. Et ideo forte ratio non posset sustineri tamquam formalis. Sed valeat quantum valere potest.

212 Ultimo dicendum est de causis non subordinatis. Et videntur michi ponende due conclusiones quod eiusdem bene sunt infinite cause partiales, quia infinite sunt partes tue materie et infinite sunt partes tue forme, vel saltem forme equi. Et tamen quelibet pars materie tue vel forme est causa partialis tui.

213 Secunda conclusio: Numquam sunt eiusdem cause totales. Et loquor ⟨non⟩ voc⟨and⟩o hic causam totalem quia ab ea sola causatum dependeat, sed quia non est partialiter, idest quod non est pars alterius cause totalis. Isto modo enim non est nisi una forma causa tui nec etiam nisi ⟨una⟩ materia. Tunc probatur quia: Si eiusdem effectus essent infinite cause totales, vel iste essent eiusdem rationis adinvicem, vel diversarum. Si essent eiusdem, hoc esset secundum divisionem continuorum. Modo si infinita continua totalia, ista constituerent infinitam magnitudinem, quod puto impossibile. Si vero iste cause essent diversarum rationum, tunc res non essent scibiles, quia non scitur res perfecte donec seorsum distincte cognoscantur omnes cause eius per se que sunt diversarum rationum; quod esset impossibile, si essent infinite.

214 Et credo etiam quod idem inconveniens diceretur, si ponerentur infinite ⟨cause⟩ subordinate, quia etiam essentialiter subordinate essent diversarum rationum. Ideo ad perfectam scientiam Dei omnes istas distinctas oportet cognoscere. Et si iste rationes non appareant nobis demonstrative, sufficiat quod sint persuasive, quia Aristotiles dicit[1] | secundo huius "diffinitio in omnibus petenda est a theologia". E12vb

Ad rationes

215 Ad rationes bene dicitur concedendo. Ad istam que erat de revolutionibus et ista⟨m⟩ que erat de infinitate effectuum, ⟨dicitur negando⟩,

33 diffinitio] divisio *E*

1 Cfr. *Metaph.* VI 1, 1025b28–1026a23.

quia iste cause non sunt subordinate quarum posterior manet, priori corrupta.

216 Ad aliam forte diceret Aristotiles quod Deus est forte infinitus in duratione, sed non dixisset quod esset infinitus in vigore vel perfectione. Nos tamen debemus credere quod ipse est infinitus in perfectione. Ideo concederem quod infinitas species ipse posset creare quarum semper una esset alia perfectior. Sed ille non essent cause essentialiter subordinate in dependendo, quia de facto nos possumus esse sine illis. Ymo credo quod secundum fidem debemus credere quod lapis vel homo vel asinus nullam habet causam extrinsecam sibi essentialiter ordinatam a qua de necessitate dependeant in esse nisi solum Deum, quia sine omnibus aliis Deus posset lapidem reservare in esse.

217 Ad aliam de figuris et numeris potest dici quod non est ibi subordinatio causarum, quia partes quantitative non sunt cause totius. Ymo dicitur[1] in primo huius quod sunt posteriores toto. Et ista multiplicatio infinita in figuris et in numeris non est nisi propter divisionem continui, in qua divisione non est subordinatio causarum, quia partes continui omnino sunt eiusdem rationis, etiam non est una causa alterius.

218 Ad aliam quando dicitur quod partes sunt materia totius, dico quod si accipiamus 'materiam' improprie prout est vera causa rei, non est verum quod iste partes quantitative sunt cause totius, ymo sunt adinvicem, et etiam eiusdem rationis –, dico quantum spectat ad partibilitatem quantitativam. Sed tamen differrent secundum formas substantiales vel qualitates, sicut caput et pes, et paries et tectum tunc possunt dici cause totius. Quando enim dicitur quod materia est causa infinitatis, conceditur quod ipsa est ⟨causa⟩ quod in infinitum succedunt generationes sibi et corruptiones in hoc mundo; et hoc apparet[2] primo *De generatione*. Sed ex hoc non sequitur quod sint infinite materie subordinate.

219 Ad aliam | dico quod quamvis concupiscentia sic sit infinita quod E13ra
in aliquibus satiari non posset, tamen propter hoc non sequitur quod sint fines infiniti, ne[3] divitie infinite. Unde si rex haberet omnes divitias et adhuc alias appeteret, non sequitur quod alie essent.

220 Ad ultimas ego puto quod totum grave moveat se et quod quelibet pars moveat se et quod ipsum ⟨moveatur⟩. Et non oportet dicere quod una moveat aliam, si fuit eiusdem rationis et consimilis cum eis. Et

5 credere] concedere *E* 33 rex] rerum *E*

1 Conferas *Metaph* I 8.
2 *De generatione et corruptione* I 3, 318a23–25.
3 = 'let alone'.

tamen, hoc non obstante maius grave move[a]tur velocius, quia plus est ibi virtutis in comparatione ad resistentiam medii. Magis enim in uno grasso gravi multiplicatur gravitas quam multiplicatur aer resistens. Et si nos concederemus quod una pars moveret aliam, non tamen esset ibi essentialis subordinatio causarum, cum una pars possit esse sine alia et moveri sine alia, quia potest separari ab alia.

Sequitur quarta questio.

QUESTIO 4A: *UTRUM ENS SIT PROPRIUM SUBIECTUM METHAPHISICE*

221 Utrum ens sit proprium subiectum methaphisice. Arguitur quod non quia: Nullum equivocum debet poni subiectum primum alicuius scientie. Ens est equivocum, ut dicit[1] Porfirius. Ideo.

222 Item. Subiectum scientie debet habere passiones et principia. ⟨Ens autem non habet passiones nec principia⟩. Maior patet[2] primo *Posteriorum*. Minor probatur quia: Passiones debent esse distincte a suo subiecto et principium a principiato. Modo nichil est distinctum ab ente. Igitur nichil est principium vel passio entis.

223 Item. Illud non est ponendum subiectum proprium alicuius scientie quod se extendit ad non scibilia. Sed ens extendit se ad non scibilia, scilicet ad casualia et fortuita, etiam ad entia per accidens, et universaliter ad omnia talia.

224 Item. Si ens esset subiectum proprium methaphisice, sequitur quod methaphisica de omnibus terminis deberet considerare. Consequens est falsum. Igitur et antecedens. Falsitas consequentis apparet, quia tunc alie scientie superfluerent, vel essent partes ipsius methaphisice. Sed consequentia probatur quia: Scientia considerans de aliquo tamquam de subiecto proprio debet considerare de omnibus eius partibus subiectivis. Modo omnes termini speciales sunt partes subiective entis. Ideo ipsa methaphisica de omnibus consideraret.

225 Item. Nec illud ens est subiectum proprium methaphisice, demonstrata forma, | nec illud ens, demonstrata materia; et sic de aliis. Ergo nullum ens est subiectum proprium methaphisice. E13rb

226 Item. Hoc nomen 'deus' vel 'substantia separata' est subiectum proprium ⟨methaphisice⟩. Ergo non hoc nomen 'ens'. Consequentia

7 quarta questio] 3a questio *E* 2a questio *Ec* [videas lacunam extensam inter sectt. 201 et 202]; 4i libri *add. E*.

1 *Isag*., 6, 8–9 (p. 12, 2–3 ed. Minio-Paluello).
2 *Anal. Post*. I 9sqq.

nota est de se. Antecedens probatur auctoritate Aristotilis in fine primi *Phisicorum*, dicentis[1] quod motus non potest demonstrare substantias separatas esse. Propter quod illud genus entium, scilicet separatorum, est subiectum ipsius methaphisice. Et nulla scientia, sive universalis sive particularis, potest demonstrare suum subiectum esse, ut habetur[2] primo *Posteriorum*. Ita dicit[3] Commentator. Et confirmatur ratione quia: Deus debet poni subiectum proprium methaphisice, quia scientie debent distingui per sua subiecta et denominari a suis subiectis. Modo in sexto huius distinguit[4] methaphisicam ab aliis scientiis propter hoc quod ipsa est de ⟨substantiis⟩ separatis. Et sic substantie separate debent hic poni subiectum. [vel substantiam]

227 Item. Methaphisica denominatur ab ipso Deo, quia dicitur divina, ut dicitur[5] in prohemio. Et nobilissime scientie debet assignari nobilissimum subiectum. methaphisica est nobilissima scientia et Deus est nobilissimum subiectum.

228 OPPOSITUM est de intentione Aristotilis in quarto huius et in sexto. Et expresse Commentator dicit[6] in illo quarto quod dyaletica et methaphisica conveniunt in subiecto quod est ens simpliciter.

229 Item. Communissime scientie debet poni subiectum communissimum. methaphisica est scientia communissima, unde dicit[7] Aristoteles quod ipsius methaphisice est posse de omnibus speculari. Igitur methaphisice debet assignari subiectum communissimum. Et hoc est ille terminus 'ens'.

230 Item. Consideratio methaphisice non est inferius ente. Igitur nullum inferius ente debet poni subiectum proprium methaphisice. Igitur relinquitur quod ens ponatur eius subiectum.

231 Item. Subiectum proprium debet esse adequatum primis passionibus et primis dignitatibus istius scientie; ideo dicitur[8] primo *Posteriorum* quod in scientiis debent fieri demonstrationes ex propriis. Sed nichil inferius ente est adequatum primis dignitatibus et primis passionibus huius scientie, quoniam prima dignitas fundatur in terminis essentialibus, ut scilicet quod idem inest et non inest simul eidem est impossibile.

1 *An* AVERROIS?
2 *Anal. Post.* I 13, 78b32.
3 AVERROES, *In Arist. Phys. comm.*, ad I 9.
4 AVERROES, *In Arist. Metaph.* VI, ad 1, 1026a 11 sqq.
5 Cfr. *Metaph.* I 2, 982b31.
6 AVERROES, *In IV Arist. Metaph.*, ad IV 1, 1003a21 sqq.
7 *Metaph.* VI 1, 1026a25.
8 *Anal. Post.* I 12.

232 Item. Prime passiones sunt communes | omni enti, ⟨ut⟩ idem et E13va
diversum, prius et posterius, causa et causatum. Igitur ens ponendum est subiectum proprium methaphisice scientie.

SOLVITUR QUESTIO

De quibusdam notabilibus

233 ⟨Nota⟩ quod hic non querimus de subiecto cui scientia inheret, sicut prout album inest parieti, quia sic omnis scientie esset anima subiectum. Similiter et non querimus de subiecto prout subiectum in propositione distinguitur contra predicatum, quia pauce sunt questiones nisi in methaphisica ubi hoc nomen 'ens' ponatur pro subiecto. Sed querimus de isto subiecto de quo dicitur[1] primo *Posteriorum* quia omnis scientia demonstrativa debet supponere de subiecto *quia est*. Propter quod dicebat[2] Commentator primo *Posteriorum* quod nulla scientia particularis sive universalis potest demonstrare scilicet de subiecto suo *quia est*. Et hoc dicetur sexto huius. Modo ista dicta non essent vera capiendo subiectum prout distinguitur contra predicatum, quia in questione *si est* demonstratur de subiecto conclusionis hoc predicatum 'est', ut debet videri[3] secundo *Posteriorum*.

234 Item. Hic non loquimur de subiecto prout distinguitur contra passionem. Subiectum enim et passio sunt termini pro eisdem supponentes. Quorum terminorum unus addit aliquam connotationem super significationem alterius; et ille qui super alterum addit connotationem dicitur passio, et ille qui non est connotativus vel qui non est unus connotativus, dicitur subiectum respectu illius passionis. Ut homo dicitur subiectum et risibile dicitur passio, quamvis et homo predicaretur

235 Item. Nota quod subiectum proprium alicuius totalis scientie aggregate ex multis conclusionibus et processibus debet poni genus communissimum se habens per modum subiecti respectu primarum et principalium passionum istius scientie. Hoc dicto, sit genus communissimum quod tamen non transcendat considerationem istius scientie, nec sit communius quam ille passiones prime et principales. Et sic dicendum est quod hoc nomen 'ens' est subiectum proprium et ade-

7 prout album] *coni.* oportet de *E*

1 *Anal. Post.* I 1; conferas II 1.
2 AVERROES, *In Arist. Anal. Post. comm.* ad I 1, 71a11 sqq.
3 *Anal. Post.*, II 1–2.

quatum ipsius scientie methaphisice. Et hoc probetur per auctoritates et rationes prius adductas.

De quibusdam dubiis

236 Sed ad maiorem evidentiam dubium est utrum debeamus dicere '*ens secundum quod ens* est subiectum methaphisice', sicut communiter solet dici et sicut videtur dicere Aristotiles sepe cum ponit istam reduplicationem 'inquantum'. Secundo dubitatur de istis ⟨terminis⟩ 'res', 'unum', 'aliquid' utrum debeant poni subiecta propria methaphisice sicut hoc nomen 'ens'. | Tertio dubitatur que sunt passiones et prin- E13^{vb}
cipia huiusmodi subiecti et utrum demonstrantur de aliquo. Quarto dubitatur quomodo ille terminus equivocus 'ens' possit dici subiectum proprium et adequatum metaphisice cum, inquam, pluribus conclusionibus methaphisice non accipiatur. Ultimo dubitatur utrum etiam ens sit subiectum proprium dyaletice, sophistice, sicut innuit[1] Aristotiles et exprimit Commentator.

237 Ad primam dico quod communiter possumus dicere *ens secundum quod ens*, capiendo istam dictionem 'secundum' specificative, scilicet prout specificat rationem secundum quam ponitur subiectum, ad istum sensum quod iste terminus 'ens secundum quod ens' idest secundum rationem communem a qua sumitur hoc nomen 'ens', ponitur hic subiectum. Et sic non sequitur 'ens secundum quod ens est hic subiectum proprium; ergo omne ens'.

238 Ad secundam dubitationem dico quod hoc nomen ⟨'ens'⟩, prout hic ponitur subiectum primum et proprium, debet capi prout est terminus alienatus a connotatione, nisi forte quantum ad modos significandi generales. Et sic etiam isti termini 'res' et 'aliquid' capi **a**ntur absolute ab omni⟨bus⟩ connotatione. Tunc omnes isti termini 'ens', 'res', 'aliquid' sunt synonimi. Et sic unus poterit poni subiectum sicut alter. Si vero aliquis istorum terminorum addat super alterum aliquam connotationem, ille non est ponendus primum subiectum huius scientie, ymo ille qui erit magis absolutus a connotationibus. Et ideo puto quod hoc nomen 'ens' ut ponitur subiectum primum methaphisice, debet capi nominaliter et non prout est participium, quia tunc addit super istos terminos 'res' et 'aliquid' connotationem presentie. Sed iste terminus 'unum' non est hic ponendus subiectum proprium, ymo est propria passio, quia addit super 'ens' connotationem indivisionis.

25 modos] motus *sic persaepe E*

1 *Metaph.* IV 2, 1004b18 sqq.; AVERROES, *In Arist. Metaph. comm.*, *ad locum*.

239 Ad tertiam dubitationem ⟨debet⟩ dici quod ille terminus 'unum' est propria passio huius subiecti 'ens'; et sunt etiam multe alie passiones, ut isti termini 'idem' et 'diversum' et isti termini 'prius' et 'posterius' et isti termini 'causa' et 'causatum' et isti termini 'actus' et 'potentia', et quamplures alii, de quibus ⟨alias⟩ determinabitur. Et non oportet quod ille passiones demonstrentur de subiecto suo, si sint per se note de eo. Si queratur de principiis complexis, ista apparebunt in quarto isto.

240 Ad aliam dubitationem dico quod ille terminus 'ens' non protantummodo dicitur subiectum proprium et adequatum methaphisice quod in qualibet questione exprimatur, sed quia | omnia considerata E14ra in methaphisica considerantur ibi prout habent habitudinem ad eam, scilicet quod sunt eius passiones vel eius operationes vel eius partes subiective vel passiones suarum specierum, et sic de aliis habitudinibus.

241 Ad ultimam dico quod dyaletica docens, scilicet que traditur in logica, habet subiectum speciale et proprium, scilicet argumentationem dyaleticam. Sed dyaletica utens, idest habitus utens syllogismis dyaleticis, non habet in sua communitate aliquod proportionale tamquam subiectum proprium, quia circa omnes terminos et conclusiones possumus uti syllogismis dyaleticis. Et ideo tali habitui assignandum est subiectum communissimum sicut ipsi methaphisice. Et si tu queras ubi traditur talis dyaletica, respondeo dic⟨end⟩o quod in libro methaphi *sice* et in libris naturalibus et in libris moralibus et in aliis. Unde quando ad aliquam conclusionem methaphisicalem arguimus demonstrative, habitus inde generatus est pars methaphisice. Et si arguamus ad eandem conclusionem solum per syllogismos dyaleticos, habitus inde generatus est pars dyaletice utentis, et non est pars, proprie loquendo, methaphisice, quoniam ille habitus non est scientia, sed solummodo opinio. Et similitudinarie dicerem de aliis.

Ad rationes principales

242 Ad rationes principales. Ad primam dico quod hoc nomen 'ens' non est pure equivocum, sed analogum. Et tale bene potest esse subiectum proprium alicuius scientie.

243 Ad aliam dicendum est quod ille terminus 'ens' habet multas passiones que non sunt dicte ab ente, sed sunt dicte ab illo termino 'ens'.

244 Ad aliam dico quod omnia entia mundi, sive sunt casualia sive fortuita, sunt scibilia secundum aliquas eorum rationes, licet non secundum quascumque rationes eorum. Et ideo nichil est quod non sit

scibile. Nam quodcumque ens de mundo significatur per aliquos terminos multarum conclusionum scibilium. Et sic per tales conclusiones habemus de omnibus entibus scientiam.

245 Ad aliam concedo quod methaphisica de omnibus terminis potest considerare. Unde ad methaphisicum spectat scire que res est triangulus, et etiam utrum *habere tres* [tri]*angulos* est idem quod *habere tres*, vel diversum. Sed bene verum est quod ad methaphisicum non spectant omnes termini quantum ad omnes propositiones que de ipsis possunt formari. Unde si formarentur questiones de mensuris et operationibus et motibus, | pertinebant ad alias scientias. Et sic E14rb
alie scientie non superfluunt nec sunt partes methaphisice. Et breviter, de distinctione earum et methaphisica determinabitur in sexto huius.

246 Ad aliam dicitur quod ille terminus 'ens' qui est in mente mea, est subiectum in methaphisica mea, et sic de tua; et sic de aliis.

247 Ad aliam dico quod Deus vel substantia separata non est subiectum proprium totalis methaphisice, sed cuiusdam partis eius que traditur in duodecimo ⟨huius⟩. Ratione cuius partis illa tota scientia dicitur divina et nobilissima. Sed totali methaphisice oportet assignari subiectum communius. Et si Commentator dicat alio modo, non esset ei credendum.

Et sic sequitur alia.

QUESTIO 5A: *UTRUM OMNES HABITUS INTELLECTUALES SINT ADINVICEM EIUSDEM SPECIEI SPECIALISSIME*

248 Utrum omnes habitus intellectuales sint adinvicem eiusdem speciei specialissime. Arguitur quod sic quia: Omnes actus intelligendi sunt adinvicem eiusdem speciei specialissime. Igitur omnes actuales habitus intellectuales sunt eiusdem speciei specialissime. Consequentia manifesta est per similem proportionem, quia sicut actus ad actum, ita habitus ad habitum. Hoc etiam apparet secundo *Ethicorum* ubi dicitur[1] quod ex similibus habitibus generantur similes actus. Sed antecedens probatur quia: Si actus intelligendi differrent abinvicem specifice, hoc esset ratione obiectorum, cum intellectus sit unus et idem. Sed ⟨propter⟩ hoc non potest dici quod propter differentiam obiectorum differant specifice actus intelligendi.

1 *Eth. Nicom.* II 6.

249 Hoc probatur multipliciter. Primo quia videmus quod diversorum obiectorum secundum speciem (ut hominis et equi) est bene actus intelligendi unus et idem, scilicet iste terminus communis a quo sumitur hoc nomen 'animal'. Et sic patet quod duplicatio vel unitas actuum non sequitur proportionaliter unitati vel duplicationi obiectorum. Et hoc probatur secundo quia si esset, etiam sequeretur quod obiectorum generalissime dictorum, ut Substantie et Quantitatis essent conceptus generalissime dicti. Sed hoc est falsum, quia omnes conceptus intellectuales ponuntur de eodem genere, scilicet de genere Qualitatis, vel secundum alios de genere Actionis. Tertio probatur idem quia: Eiusdem rei simpliciter sunt valdi diversi conceptus, sicut divinarum rerum. Verbi gratia, Dei sunt conceptus plures et multum diversi, a quibus sumuntur predicata attributa ipsi | Deo, E14va ut patet in duodecimo ⟨huius⟩. Quarto idem probatur quia: Si diversitas conceptuum sequeretur diversitatem obiectorum, tunc contrariorum, ut albedinis et nigredinis, essent conceptus contrarii. Quod est falsum, quia possunt esse simul in intellectu eodem, scilicet si tu formares istam mentalem 'Albedo non est nigredo'. Quinto ad idem arguitur quia: Non-entium sunt bene conceptus positivi, ut vacui et chymere.

250 Sexto sequeretur quod essent tot species conceptuum quot sunt species omnium aliarum rerum. Quod videtur inconveniens. Ymo videretur quod essent infinite species conceptuum, quia si homo et asinus concipiuntur, erunt duo diversi secundum speciem, et obiecta sunt diversa secundum speciem. Et tunc si ⟨denuo⟩ isti duo conceptus concipiuntur, erunt alii duo conceptus diversi secundum speciem et adinvicem et a prioribus conceptibus; ⟨et⟩ isti duo conceptus sunt aliorum obiectorum quam essent primi. Et tunc, si concipiantur isti duo conceptus, sunt aliorum obiectorum quam essent primi. Et tunc si concipiantur isti conceptus, resultabunt alii in secondo ordine dicti ⟨diversi⟩ secundum speciem ⟨abinvicem⟩ et a prioribus. Et sic poterit procedi in infinitum. Quod videtur inconveniens.

251 Item. Specifica differentia est differentia rerum intrinseca. Sic homo et equus differunt specifice, quamvis essent extrinseca ⟨obiecta, natura intrinseca⟩ circumscripta. Sed obiecta quia sunt extrinseca ipsis conceptibus, ab istis non habet conceptus distinctionem specificam.

252 Item. Res non habent distinctionem specificam a natura, sive sint forme substantiales sive accidentia, quia bene est eadem materia vel consimilis diversorum specie, et aeris et aque. Nec etiam sumunt di-

19 positivi] expositi *E*

stinctionem specificam ab agentibus remotis, quia diversorum secundum speciem, ut equi et canis, sunt bene eadem agentia remota, ut sol ⟨vel⟩ Deus. Igitur conceptus anime nec a materia nec ab agentibus remotis potuerunt habere specificam distinctionem. Nec habet istam ab agente propinquo, quia agens propinquum et principale omnium actuum intelligendi est idem, scilicet intellectus agens. Igitur non potest dici unde actus intelligendi habent inter se distinctionem specificam. Nec, per consequens, habitus intellectuales.

253 OPPOSITUM istorum arguitur per Aristotelis secundo *De anima* ubi dicitur[1] quod actus distinguuntur per obiecta. Et Commentator in tertio dicit[2] quod intelligentia diversificatur secundum diversitatem nature intellecte.

254 Item. Scientie speculative non descendunt ad differentias individuales, et sic non descendunt ultra differentias | specificas. Et tamen E14^{vb} scientie speculative, ut patet in sexto huius, descendunt ad distinguendum habitus intellectuales, scilicet methaphisicam, phisicam et mathematicam. Igitur ille non solum individualiter sed specifice distinguuntur.

255 Item. In septimo huius videtur Aristotiles dicere quod in eodem subiecto non sunt plura simul, solummodo nota differentia. Et tamen in eodem intellectu sunt plures habitus simul intellectuales. Igitur isti differunt plus quam nota ⟨differentia⟩. Et sic differunt specifice.

256 Item. Quecumque sunt diversarum rationum distinctarum, ista sunt diversa specie, ut ⟨ait⟩[3] Aristotiles septimo huius. Sed absurdum esset dicere quod medicina ⟨et⟩ ars fabrilis non essent diversarum rationum distinctarum; etiam quod opinio et scientia et error non essent diversarum rationum. Igitur talia differrent specie. Et hoc iterum probatur quia: Quecumque sunt eiusdem rationis adinvicem, ista habent consimiles operationes et eiusdem rationis. Modo constat quod ars fabrilis et ars medicinalis non habent consimiles operationes, ymo dissimiles et diversarum rationum et diversarum specierum.

257 Item. Contrarietatis est differentia secundum speciem, ut dicitur in duodecimo. Sed opiniones contradictoriorum sunt contrarie, ut habetur[4] in illo quarto et in libro *Peryarmenias*. Igitur differunt specie

16–17 mathematicam] mechanicam *E*

1 *De anima* II 4, 415a17sqq.
2 AVERROES, *In III Arist. De anima comm. magnum*, p. 382, 26sqq. (ed. F. STUART-CRAWFORD).
3 an *Metaph.* X 8?
4 *Metaph.* IV 2, 1004b1sqq.; *De interpr.* 10, 20a16sqq.

abinvicem. Et constat quod non sic differunt solum per obiecta, quia seipsis, obiectis circumscriptis; quia si non essent sotulares, neque fabri, adhuc diceretur ars sutoria et ars fabrilis aliter quam due artes fabriles. Quod apparet, quia essent innate ad diversas operationes.

SOLVITUR QUESTIO

258 Nota quod genera et species non sunt nisi termini significativi (aut mentales aut vocales, aut scripti). Et ideo possumus dicere quod *aliqua differre genere vel specie* potest intelligi tripliciter. Uno modo dicuntur aliqua differre genere que sunt diversa genera, ut isti termini 'qualis', 'quantus'. Secundo modo aliqua dicuntur differre genere que significantur per diversa genera aut per terminos sub diversis generibus contentos. Et sic diceremus quod ille homo et illa albedo differunt genere. Et eodem modo esset dicendum de differre specie. Et ego capio pro eodem *differre genere* et *esse diversarum specierum*.

De quibusdam conclusionibus

259 Tunc pono aliquas conclusiones. Prima conclusio est quod multi conceptus differunt abinvicem genere etiam generalissimo et primo et secundo dictorum modorum, | quia multi conceptus sunt diversa ge- E15ra
nera generalissima a quibus sumuntur isti termini 'quantus', 'qualis', 'ad aliquid', et sic de aliis. Multi etiam conceptus contenti sunt ⟨sub⟩ diversis generibus generalissimis, ut isti termini 'homo', 'albedo', 'numerus'. Ergo manifestum est quod multi conceptus differunt abinvicem secundum genus. Et sic etiam potest declarari ⟨quod⟩ differunt secundum speciem et sunt diversarum specierum.

260 Sed de tertio modo prout aliqua dicuntur differre genere vel specie que significantur per diversa genera vel per diversas species, dicendum est primo quod omnis res significata per diversas species, ymo significatur per diversa genera generalissima. Verbi gratia, Sortes significatur per hanc speciem 'homo', vel per hanc 'album' vel 'nigrum' vel 'pater', quia isti termini pro ipsamet re supponunt. Et sic eadem res illo modo esset diversarum specierum et diversorum generum generalissimorum.

261 Igitur videtur michi quod omnes res de mundo significantur bene per eandem speciem specialissimam, quia significantur per illum terminum 'idem' vel per illum terminum 'diversum', quia quidam termini sunt diverse species sive in predicamento Ad aliquid. Et omnes res de mundo significantur per illum terminum 'unicubitus', qui est species

una specialissima de predicamento Quantitatis. Igitur illo modo omnes res de mundo essent eiusdem speciei specialissime. Tamen detur considerare quod quando dicimus hominem et equum vel albedinem et nigredinem non esse eiusdem speciei sed diversarum specierum, nos volumus tunc loqui de speciebus significantibus illas res quiditative sine aliqua connotatione.

262 Sic etiam concedendum quod multi conceptus et etiam multi habitus intellectuales differunt abinvicem secundum speciem, quia essent eorum diverse rationes quiditative. Et hoc satis probant ille rationes que adducte fuerunt in *Opposito* questionis.

Ad rationes in oppositum

263 Ad rationes in oppositum. Quando arguitur quod omnes actus intelligendi sunt eiusdem speciei specialissime, nego quantum ad rationes essentiales eorum. Et quando dicitur: "Si isti actus differunt specie, hoc est propter diversitatem obiectorum pro quibus isti conceptus supponunt", nego; sed est propter diversitatem mediorum per que devenimus ad notitiam istorum obiectorum. Et ideo nullum est inconveniens quod eiusdem rei (ut Dei) sunt multi diversi conceptus.

264 Similiter etiam possibile est quod per concurrentiam in aliquibus operationibus vel per se accidentibus possibile est | quod proveniat E15rb
conceptus rerum specie differentium. Unde breviter: omnes isti conceptus sunt diversi specie quorum unus indiget aliquibus causis ad sui productionem, et alter non indiget illis nec similibus, quia iam sequitur ex hoc quod ipsi ⟨sunt⟩ diversarum rationum. Sic etiam ad differentiam specificam effectuum requiritur bene aliqua differentia specifica causarum. Sed non est necesse quod sit tanta in causis quanta est in effectibus, nec econverso. Quando igitur dicitur quod diversorum specie est idem conceptus, concedo propter concurrentiam in aliquo opere vel in aliquo accidente vel in aliqua proportione.

265 Ad aliam concedo quod conceptus bene differunt genere generalissimo modo prius dicto. Et tamen non obstat quin etiam sint de eodem predicamento tamquam res significate per terminum de uno predicamento. Omnes enim significantur per illum terminum 'conceptus'. Concessum est etiam quod eiusdem rei sunt diversi conceptus specie. Sed hoc est propter media diversa per que devenimus in istos conceptus. Dico etiam quod contrariorum non oportet conceptus proprios esse contrarios, quia dictum fuit quod non oportet esse tantam differentiam inter effectus quanta est inter causas. Nec oportet quod illorum contrariorum conceptus sunt diversarum rationum et per consequens differentes specie.

266 Ad aliam dico quod non entis non est aliquis conceptus. Ymo conceptus a quibus sumuntur illa nomina ‘chymera’, ‘vacuum’, sunt diversarum rationum, sicut alias dictum fuit.

267 Ad aliam dico quod non est michi inconveniens quod sit processus in infinitum in diversis speciebus, quia hoc videmus manifeste in numeris et figuris. Et si Porphirius dicat[1] species esse in numero finito, intelligit de speciebus Substantie.

268 Ad aliam dico quod habitus intellectuales vel actus intelligendi differunt abinvicem seipsis intrinsice. Etiam tamen differunt aliqualiter per obiecta. Unde licet homo et equus differunt bene seipsis intrinsece, tamen a suis causis originatur ista diversitas. Et sic dicimus quod actus et habitus bene differunt per obiecta.

269 Ad ultimam dico quod effectus aliquando sumunt aliquam differentiam specificam ab agentibus propinquis, aliquando a remotis, aliquando a diversis dispositionibus materie. Et universaliter: inde videlicet inveniuntur plures effectus quorum unus de necessitate indiget | aliquibus causis vel dispositionibus previis, et alter non indiget E15va istis vel consimilibus secundum speciem. Concedi potest quod sunt diverse speciei, quia sunt diversarum rationum, quoniam quecumque sunt eiusdem rationis essentialis, ista possunt provenire ex causis etiam eiusdem rationis. Sequitur

QUESTIO 6A: *UTRUM METHAPHISICA SIT UNA SCIENTIA*

270 Utrum methaphisica sit una scientia. Et accipo hic ‘methaphisicam’ pro aggregato ex omnibus ⟨conclusionibus⟩ methaphisicalibus sive ex omnibus habitibus omnium conclusionum methaphisicalium. Arguitur primo quod methaphisica sic accepta non sit una sicut una scientia, quia: Ex pluribus in actu non fit unum, prout communiter allegatur ex septimo huius. Sed quilibet conceptus methaphisicalis vel habitus illius conclusionis est ens in actu. Igitur ex talibus pluribus conclusionibus non fit aliquid unum.

271 Et hoc confirmatur per Aristotilem nono huius ubi dicit[2] quod entium quecumque habent plures ⟨causas⟩ et non est aliqua secundum totum, oportet esse aliquam causam per quam totum est unum. Et hoc est dictu quod plura non sunt unum totum nisi per modum anuli; sed

1 Porphyrius, *In Isag.*, 6, 13–14 (p. 12, 7–8).
2 Conferas *Metaph.* x 1.

non sic ⟨est⟩ dare aliquam causam uni enti. Modo, acceptis omnibus conclusionibus methaphisicalibus, non apparet ibi alia causa per quam illi fiant inter se una. Igitur aggregatum ex eis non debet dici una scientia.

272 Item. Geometria, que est de magnitudine, et arismetica, que est de numero, non sunt una scientia sed due. Et tamen numerus et magnitudo magis conveniunt quam substantia et accidens. Igitur cum de numero et magnitudine non sit una scientia (ut dictum est), multo minus erit una ex accidentibus et substantia. Et cum methaphisica consideret tam de substantiis quam de accidentibus, igitur non erit una scientia.

273 Item. Querendum esset de causa unitatis propter quod tot et ita diverse conclusiones dicerentur esse una scientia. Et non posset hoc dici quod hoc fit per unitatem intellectus, quia tunc ita bene ars fabrilis et medicina simul esent una scientia, cum sint in eodem intellectu; quod tamen nullus diceret. Aliter potest dici quod hoc fit propter reductionem omnium ad aliquod principium, quia tunc omnes scientie et artes simul | deberent dici una scientia, quia omnes scientie et artes E15^{vb} ad unam primam scientiam, scilicet ad methaphisicam tamquam ad istam cui quidem subalternatur et per quam sua principia corroborantur. Ymo et sic omnia entia de mundo simul dicerentur unum, quia omnia reducuntur ad unum principium, scilicet ad Deum. Modo illud communiter videtur esse falsum.

274 Nec potest dici quod hoc fit propter concurrentiam omnium consideratorum in una ratione, quoniam scilicet entis, quia forma non est aliqua communis ratio entis que sit una substantiarum et accidentium. Et si esset una, tamen non solum considerata immediata concurrerent in una ratione, ymo etiam omnia considerata in aliis scientiis concurrerent in ista ratione; et reverteretur quod omnes scientie esset una. Nec valet dicere quod alie scientie nisi methaphisica non sunt omnes una quia alie descendunt ad rationes speciales. Hoc enim non valet, quia etiam methaphisica posset descendere ad omnes terminos speciales et ad rationes speciales eorum. Unde methaphisica habet scire que res sit triangulus etc., non ⟨autem⟩ apparet unde tot diverse conclusiones debeant dici una scientia.

275 Item quereretur quomodo essent una, scilicet utrum esset una vel secundum numerum vel secundum speciem vel secundum genus vel secundum analogiam. Et non potest dici quod sit una solum secundum speciem vel secundum analogiam vel secundum genus, quia tunc non magis esset una quam omnes scientie simul, quoniam omnes scientie simul sunt unum secundum genus, quia sunt de genere Qualitatis; ymo etiam secundum speciem, quia sunt de quinta specie Qualitatis.

Nec potest dici quod sit unum numero, quia diverse conclusiones differunt abinvicem secundum numerum. Igitur non sunt inter se idem secundum numerum, quia unum et multa, vel etiam idem et diversa, opponuntur, ut dicetur in decimo. Ideo non est possibile quod idem illo modo 'eiusdem' dicatur idem et diversum.

276 OPPOSITUM dicit Aristotiles in illo quarto ubi dicit[1] quod non solum eorum que dicuntur secundum unum ⟨principium⟩, est una scientia, sed etiam eorum que dicuntur ad oppositum. Modo omnia accidentia referuntur ad unum principium, scilicet ad Substantiam. Igitur Substantie et omnium accidentium est una scientia.

SOLVITUR QUESTIO

277 Nota quod cuiuslibet conclusionis methaphisicalis habitus est scientia, scilicet illa conclusio demonstrata, et tamen potest dici | quod E16ra sit alia scientia quam scientia methaphisicalis. Et ita etiam habitus cuiuslibet conclusionis methaphisicalis et naturalis est una scientia methaphisicalis et naturalis. Modo scientia methaphisicalis est idem quod methaphisica, et ⟨scientia⟩ naturalis est idem quod phisica; et tamen certum est quod nullus habitus unius conclusionis est phisica vel methaphisica, si capiamus methaphisicam pro aggregato ex omnibus conclusionibus demonstratis de tali libro methaphi *sice*. Ideo oportet notare quod hoc nomen 'methaphisica' aliquando supponit indifferenter pro quolibet habitu partiali cuiuslibet conclusionis methaphisicalis. Et est totum universale ad ista nomina que determinate supponunt pro particularibus habitibus istarum conclusionum. Verbi ⟨gratia⟩, habitus quatuor conclusionum vocetur a, b, c, d.; tunc illud nomen 'methaphisica' erit genus ad ista nomina a, b, c, d. Sed alio modo accipitur hoc nomen 'methaphisica' prout supponit pro aggregato ex habitibus omnium conclusionum methaphisicalium. Et sic hoc nomen 'methaphisica' esset genus ad ista nomina a, b, c, d.

278 Sed dicto quod methaphisica esset totum integrale cuius partes integrales essent a, b, c, d, et sic de aliis, illo modo capiendo methaphisicam, querebat questio sicut diximus prius. Et tunc respondeo quod simpliciter loquendo methaphisica non est aliquid unum, quia methaphisica sic est integrata ex multis in actu quorum neutrum est ad alterum sicut actus ad potentiam, talia plura non sunt simpliciter loquendo aliquid unum.

1 *Metaph.* IV 2, 1004a10sqq.

279 Secundo dico quod methaphisica sic accepta est ⟨una⟩ scientia secundum ordinem vel attributionem, quia sic vel plura vel diversa in actu existentia possunt dici unum, si sit ibi dare aliquod unum ad quod alia reducantur. Nam isto modo exercitus dicitur unus, quamvis sint ibi homines, equi et currus, propter hoc quod omnia reducuntur ad unum, scilicet ad ducem. Sic etiam omnia entia de mundo dicuntur unus mundus propter reductionem ad unum corpus continens omnia alia corpora. Et illud est ultima species. Modo sic est de omnibus consideratis in methaphisica, quia omnia, prout ibi considerantur, reducuntur ad unum principium, scilicet vel ad ipsum Deum, vel ad communem rationem entis aut substantie. methaphisicus enim omnia accidentia considerat secundum reductionem aliorum ad Substantiam, et omnes substantias considerat reducendo corporeas ad separatas, | E16rb et ultimate reducendo omnes separatas in Deum. Similiter etiam methaphisica omnes terminos specialiter considerat reducendo eos in rationem entis.

280 Unde nota differentiam methaphisice ab aliis scientiis in consideratione terminorum specialium. Methaphisicus enim de homine et de triangulo considerat quid est et etiam quomodo est et propter quid est. Sed phisicus de unoquoque istorum supponens mediate considerans quomodo agit, quomodo patitur, quomodo movet, quomodo movetur et propter quid movet et movetur. Mathematicus considerat de predictis quomodo mensurabuntur et propter quid ita mensurantur. Moralis autem scientia narrat de homine quomodo et per que felicitandum et propter quid ita felicitabitur. Et sic manifestum est quomodo methaphisica omnia etiam specialia reducit ad rationem essendi, sicut phisica ⟨ad rationm⟩ movendi. Ideo dicitur sic una scientia, non quia sit aliquid unum simpliciter loquendo, sed secundum quid, scilicet cum additione expressa vel subintellecta, scilicet quod est una secundum ordinem vel attributionem.

281 Ulterius nota quod si loquamur de habitibus partialibus conclusionum methaphisicalium, tamen omnes isti habitus possunt inter se dici unum secundum genus, quia sunt de hoc genere *Qualis*. Et etiam unum secundum genus, quia sunt de hoc genere *Habitus*. Et ultra, quod sunt de genere *scientia* et quod adhuc magis specialiter, quia sunt de hoc genere *methaphisica*, sicut prius notatum fuit.

Ad rationes

282 Ad rationes. Concedo quod ex pluribus in actu sic quod neutrum se habet ad reliquum sicut actus ad potentiam et quod non sint adinvicem continua, non fit aliquid unum per se, simpliciter loquendo, et tamen

talia sunt unum ordine vel attributione. Et hoc non est ad differentiam rerum quod inter ista multa est aliquid unum ad quod alia attribuuntur.

283 Ad auctoritatem Aristotilis dico quod inter istas plures partes est aliqua unitas, scilicet unitas principii ad quod alia reducuntur.

284 Ad aliam potest dici quod geometria et arismetica simul possunt dici una scientia, scilicet mathematica, propter reductionem geometrie ad arismeticam et propter reductionem in unam communem rationem, scilicet mensurandi. Et non obstante hoc, geometria et arismetica possunt etiam dici | due diverse scientie. Et est simile. Sicut de exercitu E16va regis, qui est unus propter reductionem omnium ad ipsum regem, et tamen est integratus ex multis partialibus exercitibus, quia ille dux habet suum exercitum, qui est unum propter reductionem ad alium ducem; et alter dux habet ibi alium exercitum, – ita totalis methaphisica est una secundum generalem reductionem, et tamen possumus dicere quod una pars eius est scientia de sensibilibus et alia pars est de abstractis. Et ille scientie sunt diverse, sicut geometria et arismetica.

285 Ad aliam dictum est quod ille diverse conclusiones sunt una scientia propter reductionem ad rationem essendi. Et quando tu dicis 'ergo omnes alie scientie cum ipsa methaphisica esse⟨n⟩t una scientia, quia omnia considerata in aliis scientiis conveniunt in ratione entis', dico quod verum est, sed alie scientie non considerant de reductione ad rationem istam. Unde mathematicus non curat quid triangulus est, sed sufficit sibi scire *quid nominis*; et si ipse curat aliquo modo quid triangulus est, hoc non est nisi suppositive, et non inquisitive. Ita nec naturalis habet scire quid homo est nisi suppositive a methaphisico.

286 Ad aliam dico quod methaphisica est una numero, non simpliciter, ut dixi, sed una numero secundum attributionem vel ordinem. Et sic dico quod diversa numero et separata loco et subiecto possunt dici unum numero, licet non possint dici unum numero simpliciter. Dicendum est etiam quod partiales habitus conclusionum sunt inter se unum secundum genus et aliter quam geometria et mathematica simul, quia geometria et mathematica simul bene sunt unum secundum genus quod est *Qualis* vel *Habitus* vel *scientia*. Sed non sunt unum secundum genus sicut methaphisica, in quo genere conclusiones methaphisicales ⟨sunt⟩ unum, sicut dictum est.

31 mathematica] methaphisica *sic saepius E*

QUESTIO 7A: *UTRUM ENS ET UNUM SUNT IDEM CONVERTIBILITER ET ESSENTIALITER*

287 Utrum ens et unum sunt idem convertibiliter er essentialiter. Arguitur quod non, per rationes Avicenne quia: Si essent convertibiliter et essentialiter idem, sequitur quod esset nugatio dicendo 'Ens est unum', quia repeteretur idem. Sed consequens est falsum, quia sicut convenienter possumus dicere 'Hec | sunt multa entia', ita convenienter E16vb dicimus 'Hoc est unum ens'.

288 Ista non dicuntur idem convertibiliter et essentialiter quorum unum denominat reliquum, cum predicatio denominativa non dicatur essentialis. Sed 'unum' denominat ens: 'Hoc ens est unum'.

289 Item. Ens est commune decem predicamentis. Et *unum* est in determinato predicamento, scilicet Quantitate. Ergo talia non convertuntur.

290 Item. Dicit[1] Commentator in septimo huius quod ens dividitur in unum et multa. Modo divisum non convertitur cum uno membro dividentium. Ergo ens non convertitur cum uno.

291 Item. Unum opponitur multis, ut dicetur in decimo. Et ens non opponitur multis. Ideo non videtur esse idem essentialiter et convertibiliter.

292 Item. Ista non sunt idem essentialiter et convertibiliter que divisionibus dividuntur. Et sic ⟨est⟩ de ente et uno, quia ens dividitur in decem predicamenta, et non unum, cum sit in determinato predicamento. Similiter unum dividitur in unum numero, specie, in unum genere et unum analogia, ut apparet[2] quinto huius. Modo hic dividitur ens. Igitur.

293 Item. In sexto huius dicit[3] Aristotiles quod verum est ens et falsum est non ens. Et tamen est verum ⟨quod⟩ bene eque vera propositio est una sicut falsa. Et sic unum dicitur de non ente, et non convertitur cum ente

294 Item. Primo *Methaphisice* Aristotiles videtur negare istam 'Tantum unum est'. Et tamen ista non est neganda 'Tantum ens est'. Igitur non sunt idem convertibiliter ens et unum.

295 OPPOSITUM arguitur auctoritate Aristotilis, in illo quarto dicentis[4] quod ens et unum sunt idem et unum natura.

1 AVERROES, *In VII Arist. Metaph.comm.* ad 6, 1031a15sqq.
2 *Metaph.* V 6.
3 *Metaph.* VI 4.
4 *Metaph.* IV 2, 1003b25sqq.

SOLVITUR QUESTIO

296 Expositores dicunt quod per hoc intendat quod sunt idem essentialiter et convertibiliter. Et Commentator reprehendit Avicennam de hoc quod concedebat ea non esse idem essentialiter et convertibiliter. Et arguebat[1] contra eum sic. Quodlibet ens de mundo est ens et unum per suam essentiam et etiam unum per suam essentiam. Igitur ens et unum sunt idem essentialiter et convertibiliter. Consequentia vocatur nota. Et antecedens probatur quia: Quodcumque ens tu acceperis, vel ipsum est ens per | suam essentiam – et tunc pari ratione standum E17ra erat in primo –, aut iterum per aliquid additum, et sic procederetur in infinitum, quod est inconveniens.

297 Nota quod hic non loquimur de convertibilitate rerum que non sunt propositiones neque termini significativi, quia iste lapis proprie tamen non convertitur. Sed loquimur de convertibilitate terminorum, intelligendo quod isti termini sunt convertibiles adinvicem quorum uterque verificatur et affirmative predicatur de alio, sicut isti termini 'homo' et 'risibile'. Ens et unum dicuntur ⟨idem⟩ adinvicem essentialiter et convertibiliter.

298 Sed statim tu diceres quod ista questio nulli est dubitabilis, unde quamvis ille terminus 'ens' convertatur cum illo termino 'unum', tamen non est idem cum eo, ymo manifeste sunt termini diversi. Et sic dubitando concedendum est quod isti ⟨termini⟩ 'ens' et 'unum' non sunt idem. Tamen ad illum sensum dicuntur idem quia de eis affirmative et vere dicatur hoc predicatum 'idem', ita quod hec est vera 'Unum et ens sunt idem'.

De convertibilitate istorum terminorum et essentialitate

299 Primo ergo dicendum est de convertibilitate, secundo de essentialitate. De convertibilitate dicendum est quod isti termini ⟨'ens' et 'unum'⟩ sunt convertibiles, nisi methaphisice capientur, quia omne quod est ens, est unum, sicut omnia que sunt entia, sunt multa; et etiam econverso quod est unum, est ens.

300 Nota tamen quod aliquando isti termini 'ens' et 'unum' accipiuntur methaphisice pro vero et falso, ita quod verum dicatur ens, et falsum non ens. Et secundum istam acceptionem non converterentur,

10 iterum] utrum *E*

1 Videas Thomae Aquinatis *In Arist. Metaph. Expositionem*, comm. 556–557.

quia sicut prius arguebatur, non magis est una propositio vera quam propositio falsa. Similiter etiam improprie accipitur 'unum' quando dicimus esse aliqua unum specie et unum genere, quia si Sor et Plato dicuntur unum specie, hoc non est quia sunt unum, sed solum quia eorum est una species. Et ideo etiam secundum talem acceptionem illius 'unius' non convertitur ens cum uno, quia non consideraremus dicere quod Sor et Plato sunt ens specie vel secundum speciem. Et ideo tales improprie acceptiones si removeantur, tunc isti termini convertuntur.

301 Nunc dico de essentialitate. De qua dicendum est quod Commentator est contrarius Avicenne, quia in pluribus consueverat eum reprehendere, et non multum rationabiliter. Erat | enim intentio Avicenne E17rb quod isti termini 'ens' et 'unum' non dicuntur essentialiter. Ideo ad istum sensum quia ille terminus 'unum' non predicatur de illo termino 'ens' essentialiter sine quiditativa predicatione, dicendo essentialem predicationem contra denominativam, quod hoc non posset esse nisi isti termini essent synonimi, et per consequens esset nugatio, sicut bene declarat Avicenna. Ymo ista predicatio bene est denominativa tamquam ponens connotationem, scilicet indivisionis.

302 Verum est tamen quod uterque terminus de modo significandi generali connotat insdivisionem, eoquod est singularis numeri. Sed hoc nomen 'unum' non solum isto modo connotat indivisionem, ymo et de sua formali significatione propter istam connotationem de determinato predicamento, scilicet de predicamento Qualitatis, non tamen tamquam terminus connotativus, sed tamquam terminus privativus sive privative oppositus isti termino 'multa', qui positive est de predicamento Quantitatis. Unde nomina privativa reducenda sunt ad ista predicamenta in quibus ponuntur termini positivi eis oppositi. Sed verum est quod Commentator ad aliquem sensum vere poterat dicere quod iste terminus 'unum' predicatur essentialiter de ente. Sed ad istum sensum quod hec dictio 'unum' vel significat vel connotat quod non significetur per hoc nomen 'ens', quia indivisio vel est vel ens, vel saltem indivisio, si significat aliquid vel connotat. Tamen illud non est accidens additum in illo quod est unum, quia quodcumque ens de mundo si ponatur esse et omnia alia accidentia ponuntur sibi circumscribi, adhuc est unum.

De propria intentione Aristotilis

303 Et sic intendit Aristotiles quod ens et unum sunt idem et eodem modo naturaliter convertuntur, idest quod neutrum significat dispositionem additam in eo quod est ens et unum. Et hoc statim probat Aristotiles quia: Quodcumque ens de mundo, seipso cum alio circumscripto,

diceretur ens, et diceretur unum, ita quod est idem dicere 'homo ens homo', 'homo unus homo'. Dico sic idem dicere quod hec nomina non significant aliquod accidens vel aliquam dispositionem in *homine* additam ipsi *homini*. Et ideo non est talis denominatio sicut si diceretur 'homo albus', quia hec dictio 'album' significat in homine dispositionem sibi additam.

304 Sed statim tu diceres | quod ego contradico dictis positionibus, quia E17va
dicebam quod 'unum' addit aliquam connotationem super significationem. Et ego dico quod ita est, sed non quod ista connotatio vel connotatum sit accidens in eo quod est ens vel unum. Unde debetis scire quod in ratione termini privativi includitur negative habitus sibi oppositus. Et ideo iste terminus privativus describitur per habitum, tamen negative. Cecitas enim est carentia visus in oculo vel oculis, vel oculus carens visu. Et ideo terminus privativus significat vel connotat habitum. Modo iste terminus 'unum' opponitur privative isti termino 'multa', et ideo connotat multitudinem sive divisionem, licet negative. Et huiusmodi multitudo connotata non est aliquod accidens inherens ei quod est ens vel unum, sed bene est multitudo aliarum rerum. Unde sic ego dicerem quod ille terminus 'cecus' quando dicimus quod oculus est cecus, non significat aliquid additum in oculo qui est cecus, sed bene significat visum quo oculus caret. Et ita est in proposito.

Ad rationes

305 Prima ratio et tertia, que erant rationes Avicenne, concludunt satis quod predicatio non est essentialis sed denominativa. Sed non concludunt quod hoc fit propter aliquid additum eo quod dicitur ens quod connotetur in eo per hoc nomen 'unum'. Et sic Avicenna non contradicebat Aristotili, prout Commentator sui ponebat.

306 Ad aliam potest dici quod proprie loquendo *ens* non dicitur proprie unum et multa, sed ens dicitur unum et entia multa. Unde sicut convertibiliter se habe⟨n⟩t ens et unum, sic entia et multa.

307 Ad aliam dico quod ille terminus 'unum' opponitur bene privative isti termino 'multa', et non est ita divisio termini 'ens'. Cum hoc non concludit quin etiam bene convertantur, sed concludit bene quod non sunt synonimi.

308 Ad aliam dico quod isti termini proprie sumpti non sic dividuntur diversis divisionibus quin uterque vere predicetur de quolibet membro divisionis, si ens dividatur in decem predicamenta, hoc nomen 'unum' vere predicabitur de quolibet eorum sicut hoc nomen 'ens'. Si vero unum dividatur in unum genere vel specie, ista impropria acceptio est.

309 Ad aliam, quando dicitur de vero et falso, dicendum est ibi quod est impropria locutio vel acceptio 'entis'.

310 Ad ultimam dico quod de virtute | sermonis ista est concedenda E17^{vb}
'Tantum unum est' sicut ista 'Tantum ens est'. Sed Aristotiles negat tantum unum esse ad istum sensum quod per illam propositionem vellemus significare quod non sunt multa entia.

311 Et nota quod nullum est inconveniens quod terminus qui est de uno predicamento, convertatur cum illo termino 'ens', quia terminus de uno predicamento bene predicatur de terminis aliorum predicamentorum, sed non quiditative. Et ⟨sic⟩ isti termini 'idem' et 'diversum', qui sunt de isto predicamento Ad aliquid, convertuntur cum isto termino 'ens'. Sequitur alia questio.

QUESTIO 8A: *UTRUM IN QUOLIBET ENTE EST IDEM ESSE ET ESSENTIA*

312 Utrum in quolibet ente est idem *esse* et *essentia*. Et quia hoc nomen 'essentia' capitur aliquando diversis modis, ego in ista questione per 'essentiam' non intelligo nisi rem ipsam. Et ideo loquendo manifestius questio formetur sic: Utrum quelibet res est idem quod ipsam esse. Arguitur quod non. Et probatur quia: ego possum intelligere *rosam* et *rosam non esse*, igitur.

313 Item. Nomina et diffinitiones significant essentias, et hoc est dictu res ipsas, ut hoc nomen 'rosa' scilicet significat rosam, et hec diffinitio 'animal rationale etc.' significat hominem. Et tamen nomen vel diffinitio non significat esse nec non esse, ut apparet[1] primo *Posteriorum*.

314 Item. Differt questio *quid est* et questio *si est*, ut apparet[2] secundo *Posteriorum*. Modo hoc non esset verum nisi differt quiditas rei et *ipsam esse*.

315 Item. Ista differunt quorum unum potest verificari de alio. Sed esse potest bene negari de essentia, quoniam hec potest esse vera 'Sor non est' vel 'Rosa non est'. Igitur *esse rosam* differt a *rosa*.

316 Item. Rosa est indifferens ad esse et ad non esse, quia potest esse et potest non esse. Et hoc non esset verum, si non differret *rosa* ab *esse* ⟨*rosam*⟩.

1 *Anal. Post.* I 2, 71a18–21.
2 *Anal. Post.* II 1–2.

317 Item. Sequitur quod esset nugatio dicendo quod rosa est, quia non esset aliud dicendo ⟨'rosa est'⟩ quam 'rosa ⟨rosa⟩'. Quod tamen est falsum.

318 Item. *Rosa* et *rosam esse* differunt, saltem secundum rationem. Tamen tu posses intelligere rosam, non intelligendo rosam esse. Igitur differunt secundum rationem. Et probatur consequentia per hoc quia aliter ista differentia secundum rationem esset ficta, exquo non haberet experire rei correspondentiam.

319 Item. Sequitur quod Intelligentia alia a Deo esset eque simplex sicut Deus. Quod apparet falsum. Et probatur consequentia quia: Secundum Aristotilem Intelligentia | non est composita ex materia E18ra et forma, nec ex partibus quiditativis, nec ex subiecto et accidente. Ideo est eque simplex sicut Deus, nisi sit composita ex esse et essentia.

320 Item. In septimo huius dicit[1] Aristotiles quod in dictis secundum accidens non est idem *quod quid erat esse* et *ipsum*. Et hoc est dictu quod non est idem *album* et *esse album*, *musicum* et *esse musicum*. Igitur saltem in multis differt res et ipsam esse.

321 OPPOSITUM videtur Aristotiles innuere[2] quia non differt in re *ens homo* et *unus homo*. Et similiter Commentator hoc expresse dicit[3] quod in nulla re differt esse et essentia, quia vult probare quod res est vel per suam essentiam – et tunc pari ratione standum erat in primo –, aut ipsum est per aliquid additum. Et sic illud additum iterum est per aliquid aliud additum; et sic procederetur in infinitum. Quod est inconveniens.

SOLVITUR QUESTIO

322 De illa questione fuerunt plures opiniones. Quidam dixerunt quod illa oratio 'rosam esse', vel 'rem ⟨esse⟩', vel 'hominem currere', aut 'hominem esse album' non supponunt nisi pro una propositione, scilicet pro ista propositione 'Si rosa est', vel 'res est' vel 'homo currit' vel 'homo est albus', referendo singula essentialiter. Et tunc esset pure manifestum quod non est idem *rosa* et *rosam esse*, quia rosa non est hec propositio 'Rosa est'. Sed hoc nichil valet, quia licet hec oratio *rosam esse* sumpta materialiter supponat bene pro tali propositione, tamen accepta significative non supponit pro tali propositione, quia

2 dicendo] additio *E*

1 *Metaph*. VII 4.
2 *Metaph*. IV 2, 1003b26–27.
3 Averroes, *ad locum*.

Aristotiles et Commentator et alii concesserunt quod secare est agere et secari est pati; et sic lignum secari est lignum pati, et hominem esse album est hominem esse coloratum, ymo ille sunt predicationes quiditative. Et omnes tales propositiones essent manifeste false secundum dictam suppositionem materialem, quia hec propositio 'Sor secat' non est hec propositio 'Sor agit'; et hec propositio 'Homo est albus' non est hec propositio 'Homo est coloratus'.

323 Alii[1] autem ponebant propter rationes que facte fuerunt, quod esse in actu (quod simpliciter dicitur esse) et quod esse in potentia sunt quidam modi additi essentiis sive quiditatibus rerum. Ideo ponebant essentias rerum semper manere, sed per generationem acquirunt esse in actu et per corruptionem revertitur esse in potentia solum, quod simpliciter vocamus *non esse*.

324 Sed tunc ista ratio nichil valet. Primo | enim sequitur quod non E18rb indigeremus ponere primam materiam, quod est contra Aristotilem et alios. Consequentia est manifesta quia: Non ponitur materia nisi quia oportet in transmutatione substantiali manere idem subiectum sub utroque termino. Modo si materia maneret idem subiectum, scilicet qualitas que mutaretur ⟨ab⟩ uno termino in alterum, scilicet de esse in potentia ad esse in actu. Item. Sequitur quod aer esset quiditative aqua et ignis, ita quod omnia essent idem quiditative. Quod est absurdum. Et patet consequentia quia si ex aqua fiet aer, adhuc manet quiditas aque; et ubi est quiditas aque, ibi est quiditative aqua.

325 Item. Omnes dubitationes que fiebant de ipsa, revertentur de istis modis quia: Capio illum modum quem vocas in actu et vocetur B; constat quod illud B non potest esse sicut erat rosa. Et de ipso potest negari esse, quia hec potest esse vera 'B non est'. Et ideo nichil perficiunt isti modi. Queritur autem utrum isti modi essent substantie vel accidentia; et si substantie, utrum sicut forma vel materia vel compositum. Et quidquid diceretur, sequuntur inconvenientia.

326 Et ideo dico quod omnis *res* est idem quod *ipsam esse* quia: Uno solo manente, omnibus aliis circumscriptis, maneret lapidis esse, idest lapidem esse. Sed solo lapide manente, circumscribendo omnia alia, adhuc lapis esset; et sic maneret lapidem esse. Igitur lapis est lapidem esse. Item. Ponamus quod Deus creavit unam simplicem Intelligentiam sine aliquo sibi addito, adhuc Ista intelligentia esset. Igitur illam Intelligentiam esse non est aliud quam ista intelligentia.

327 Aliis duabus opinionibus destructis, hec tertia videtur manifeste sequi. Igitur ponenda est. Tamen propter solutiones rationum debe-

1 Videas *Lecturam ultimam, ad locum*.

tis scire quod *rosa* et *rosam esse* differunt secundum rationem. Hoc est dictu quod secundum diversas rationes sive secundum diversos conceptus nos vocamus eandem rem *rosam* et *rosam esse*. Et hoc ad-presens suppono, et declarabitur in alia questione.

Ad rationes

328 Ad rationes. Ad primam concedo quod ego intelligo rosam, non intelligendo rosam esse, quia dicere 'Intelligo rosam' significat quod ipsam | E18va intelligo secundum conceptum a quo sumitur hoc nomen 'rosam esse'. Et dicere quod 'intelligo rosam esse' significat quod eam intelligam secundum conceptum a quo sumitur, hoc nomen 'rosam esse'. Et non oportet si habeo primum conceptum, quod habeam secundum. Sed tu replicabis per syllogismum expositorium quia: 'Rosam cognosco; et ista est *rosam esse*; igitur rosam esse cognosco'. Concedo tibi processum et conclusionem. Sed non sequitur '*Rosam esse* cognosco; igitur cognosco rosam esse', quia quando 'rosam esse' ponitur post hoc verbum 'cognosco', tunc appellat suam formam et rationem a qua sumitur hec oratio. Quam non sic appellat, si precedat verbum. Unde sicut habetur[1] in *Elenchis*, non est sillogismus 'Cognosco venientem; Sor est veniens; igitur cognosco Sortem'. Et similiter sciendum est hic quod habeo scientiam de tonitru, licet non sciam tonitrum esse. Ad hoc enim sufficit diversitas secundum rationem.

329 Ad aliam. Solvenda est eodem modo, scilicet quod nomen vel diffinitio significant res. Sed ⟨quia⟩ non secundum illas rationes dicimus eas esse, non ad illum sensum conceditur quod diffinitio nec dicit esse nec non esse.

330 Ad aliam dico consimiliter quod secundum diversas rationes differunt questio *quid est* et *si est*, et non propter quod dispositio rei sit sibi addita.

331 Ad aliam dico quod ille terminus 'est' vel 'esse' potest negari de hoc termino 'rosa'. Scilicet si corrumpatur ista rosa, sequitur quod rosa sit distincta ab esse, quoniam similiter iste terminus 'est' potest vere negari de ipsa, quoniam si non sit rosa, hec est vera 'Rosa non est rosa'. Tamen non sequitur quod rosa sit distincta a rosa. Ideo convenientius est ⟨dicere quod⟩ *rosa* est idem ⟨quod *rosam esse*⟩. Neque enim diversum, quia tunc nichil est *rosa* et nichil est *rosam esse*.

19 Sortem] venientem(!) *E*

1 *Soph. El.* 24, 179b2–4.

332 Ad aliam dico quod rosa non est indifferens ad esse et ad non esse, ipsa manente, ita quod possit manere sine esse. Ideo non sequitur quod rosa sit distincta ab esse.

333 Ad aliam dico quod non est nugatio propter diversitatem secundum rationem. Nec est idem dicere *homo est* et *homo*.

334 Ad aliam ⟨que⟩ dicebat quod Intelligentia esset neque simplex, de hoc determinatur in duodecimo. Sed adpresens dico quod | non est composita ex esse et essentia, ymo ex nullis partibus componitur secundum Aristotilem. E18vb

335 Ad ultimam dico quod differunt *album esse* et *esse album*, quia dicendo *esse album* 'album' appellat suam formam, quia sequitur verbum. Ideo dico quod sunt idem *album* et *album esse*, sed non sunt idem *album* et *esse album*. Et de hoc pertractabitur in septimo libro.

QUESTIO 9A: *UTRUM ESSE ET ESSENTIA DIFFERUNT SECUNDUM RATIONEM*

336 Utrum esse et essentia differunt secundum rationem. Arguitur quod non quia: Si differrent secundum rationem, sequitur quod differrent per locum totius in modo. Et si differunt, sequitur quod non est idem esse et essentia; quod est contra precedentem questionem.

337 Item. Si differunt secundum rationem, sequitur quod etiam differunt secundum rem. Modo consequens est falsum, ut apparebit in alia questione. Et consequentia tenet, quia aliter ista ratio esset ficta, quod est inconveniens dicere. Quod etiam confirmatur quia: Omnis ratio est aliqua res. Igitur sequitur: si differunt secundum rationem, quod differunt secundum rem.

338 Item. Esse est idem quod essentia. Igitur si esse differt ab essentia secundum rationem, sequitur quod idem differret a se secundum rationem. Modo hoc videtur absurdum, unde quamvis idem, puta Sor, haberet plures qualitates vel plures asinos, tamen non deberet dici quod Sor differret a se secundum qualitatem vel secundum asinum. Igitur similiter quamvis idem habeat plures res, tamen non debet dici quod differat a se secundum rationem.

339 Item ad idem. Vel omnis ratio que est ipsius esse, est etiam ratio essentie (et econverso), vel aliqua est ratio ipsius esse que non est ipsius essentie. Si tu dicas primo modo, tunc sunt idem secundum rationem. Si tu dices secundo modo, tunc ista ratio que est ipsius esse et non ipsius essentie vocetur B. Tunc arguatur sic. Esse tui est ratio B. Et essentie tue non est ratio B. Igitur essentia tua non est tuum esse. Et hoc consequens est falsum, ut prius dicebatur.

340 OPPOSITUM arguitur quia: Nisi differrent secundum rationem, non possunt solvi rationes ⟨que⟩ fiebant in alia questione. Item. Non magis differunt ens et unum quam esse et essentia differunt. Sed ens et unum differunt secundum rationem, quia: Dicebat[1] Aristotiles quod sunt idem. ⟨Et⟩ non ut una ratione diversa. Ergo similiter esse et essentia differunt | secundum rationem. E19ra

SOLVITUR QUESTIO

De quinque propositionibus concedendis

341 Respondeo breviter. Concedo logice aliquas propositiones. Prima est quod esse et essentia differunt, quoniam esse meum et essentia tua differunt. Secunda propositio est quod esse et essentia non differunt, quia esse tuum et essentia tua non differunt. Tertia est quod omne esse est essentia et omnis essentia est esse; et hoc dictum est in alia questione. Quarta est quod nullum esse differt ab essentia et nulla essentia differt ab esse; et hoc sequitur ex predicta propositione. Et ideo non valet ista consequentia 'Hoc esse differt ab illa essentia; ergo hoc esse differt ab essentia', quia tu arguis ab inferiori ad superius, scilicet ab ista essentia ad essentiam cum negatione implicita in hoc verbo 'differt'. Modo ab inferiori ad superius non valet consequentia negative.

342 Alia etiam conclusio ponenda est quod de proprietate sermonis ista esset neganda 'Essentia differt ab esse secundum rationem', quia sicut diximus prius, idem non differt a se secundum rationem sive connotationem. Alio modo tamen ulterius quod esse et essentia differunt secundum rationem ad istum sensum quod hec nomina 'esse' et 'essentia' sive 'lapis' et 'lapidem esse' imposita sunt ad significandum ea que significant secundum diversitates rerum, quia aliter non possent solvi rationes que fiebant in alia questione.

De quibusdam opinionibus de rationibus 'esse' et 'essentia'

343 Sed tunc est una difficultas unde proveniant originaliter huiusmodi rationes diverse. Et de hoc diversimode ⟨dicitur⟩. Quidam dixerunt quod esse et essentia differunt sicut singulare et universale. Et ideo

1 *Metaph.* IV 2.

sensus percipit esse et non percipit essentiam, quia sentit singulariter et non universaliter. Propter hoc etiam dictum est in prohemio quod generationes, que sunt ad esse, sunt circa singularia. Sed ista opinio nichil valet, quoniam sicut differunt *homo* et *hominem esse*, ita differunt *Sor* et *Sortem esse*. Ideo utrumque, scilicet tam esse quam essentia, potest dici universaliter et singulariter. Ymo questiones scientifice non fiunt singulares. Et tamen una questio est de esse, scilicet questio *si est*. Ideo non est dicendum quod esse solum pertineat ad terminos singulares.

344 Alia opinio fuit accepta a Lynconiense super secundo *Posteriorum* ubi dicit[1] quod res non habent esse vel essentiam nisi secundum dependentiam earum a Prima Causa. Modo Prima Causa potest considerari uno modo ut exemplariter aliarum rerum, quoniam omnes res quodammodo relucent in essentia divina, non solum presentes sed preterite et future. Ideo Deus per suam simplicem essentiam inter omnia discernit, scilicet inter presentia, | preterita et futura. Alio modo E19^{rb} etiam consideratur Prima Causa ut efficiens alias res. Si ergo res considerantur ut dependent a Prima Causa tamquam ab exemplari, sic eis attribuitur nomen essentie. Sed si considerentur ut dependent a Prima Causa tamquam ab agente, sic attribuitur eis esse.

345 Sed adhuc ista opinio non videtur esse sufficiens. Primo quia: Ille rationes sunt nobis communiter manifeste de istis rebus inferioribus absque hoc quod oportet aliquid considerare de Deo. Homines enim conceptus habent equorum, canum, lapidum, et sciunt lapides esse et equos esse absque hoc quod indigeant aliquid considerare de Prima Causa. Item. Sicut differt secundum rationem *lapis* et *lapidem esse*, ita differt secundum rationem *Deus* et *Deum esse*, licet non sint ibi tales dependentie.

346 Alia opinio videtur esse gramaticorum et logicorum quod esse et essentia non differunt nisi secundum nomen et verbum; unde nomen significat sine tempore, et ita essentiam, et verbum significat cum tempore, et ita esse. Tamen adhuc ista opinio est dubitabilis, quia si nullum esset tempus et per consequens ⟨nullus motus⟩, adhuc non qui⟨esce⟩ret ⟨celum⟩, sed ratio aliqua sumitur 'esse'. Item. Multi sunt non percipientes ⟨motum⟩, sicut incarcerati; temporis enim est motus esse; quod isti non percipiunt. Et tamen sciunt se esse. Et sic ratio aliqua sumitur 'esse'. Et dato quod celum quiesceret et per consequens si non esset tempus, adhuc diceremus celum esse.

35 temporis] tempus *E*

1 Robertus Lincolniensis, *In Arist. Anal. Post. Comm.* II 3 ed. Rossi.

347 Et ideo videtur michi: quod ratio aliqua sumitur esse est propter modum concipiendi. Res enim aliquando concipitur per modum existentis in prospectu cognoscentis; sicut ego video te vel audio istum sonum; et tunc secundum istum modum concipiendi dicimus rem esse. Alio autem modo concipitur res absque hoc quod appareat in prospectu cognoscentis, sicut ego concipio Sortem vel lapidem non michi presentem sed absentem. Et tunc non attribuo sibi esse, sed ignoro utrum sit vel non sit. Bene tamen concipio quod fuit, memorando quod fuit in retrospectu.

348 Modo verum est etiam quod per rationem nos multa scimus esse que tamen non sunt in prospectu. Modo sicut Deum esse et Intelligentias et astra scimus, sed tamen hoc nescimus nisi propter scientiam ⟨sumptam⟩ ab hiis que sunt vel fuerunt in prospectu nostro, vel propter ratiocinationem sumptam ab hiis que sunt vel fuerunt in prospectu | nostro. Et ideo numquam attribuimus animalibus esse nisi inquantum est in prospectu nostro, vel propter ratiocinationem sumptam ab hiis que sunt ⟨vel⟩ fuerunt in prospectu nostro. E19va

349 Sed ut hoc reducamus ad modum loquendi gramaticorum et logicorum, sciendum est quod hoc verbum 'esse' significat bene per modum presentis temporis. Sed non oportet quod accipiatur presens tempus proprie loquendo de tempore, quia si non esset tempus, adhuc concedendum est Deum esse. Sed accipitur ibi tempus presens pro presente in conspectu cognoscentis, ita quod quamvis nullum sit tempus: posito per possibile vel impossibile quod essemus, tunc illud sciremus adhuc ⟨quod⟩ tu esses presens michi et ego tibi. Et sic quia tu esses in conspectu meo, et ego cognoscerem te esse. Si autem non esses in conspectu meo, adhuc ego haberem de te notitiam, sed non scirem te esse.

350 Ita ergo videtur michi quod differunt rationes sive conceptus secundum quos sumuntur ista nomina 'lapis' et 'lapidem esse' vel 'Sor' et 'Sortem esse'. Et per hoc solvuntur rationes. Omnes enim bene probant quod ad proprium sensum sermonis hec non est vera 'Esse differt ab essentia secundum rationem', tamen non tollitur alius sensus. Unde etiam concedendum est quod cum ratione vel cum conceptu quid essentialiter cognoscitis esse, et cognoscitis essentiam, et econverso, cum sit idem esse et essentia. Tamen hoc non obstante, ista nomina 'esse' et 'essentia' sunt diversa et diversorum conceptuum accept⟨iv⟩a. Sequitur.

9 retrospectu] prospectu *E* 11 deum esse] dictum est *E* 12 scientiam] secundum *E* 25 sciremus] sumus *E*

QUESTIO 10A: *UTRUM POSSIT ESSE UNUS CONCEPTUS COMMUNIS SUBSTANTIIS ET ACCIDENTIBUS*

351 Utrum possit esse unus conceptus communis substantiis et accidentibus. Arguitur quod sic per rationes eorum qui sic opinantur. Primo quia: Istis potest esse conceptus communis in quibus reperitur aliquis modus essendi unus. Sed substantiis et accidentibus convenit unus modus communis essendi. Igitur. Maior manifesta quia: Nos ponimus quod omnibus substantiis potest esse unus conceptus communis per istum modum essendi qui est *per se stare*. Qui convenit omnibus substantiis. Ideo in omnibus aliis erit conceptus communis in quibus unus modus essendi invenietur. Sed minor manifesta est quia sicut omnibus substantiis convenit per se stare, ita convenit omnibus accidentibus iste modus essendi cum forma. Unde sicut substantia est seipsa formata, ita etiam accidens est seipso forma⟨tum⟩, et non per substantiam, quamvis sit subiective per substantiam. Ideo ab alio | modo essendi E19^{vb} sumetur unus conceptus entis.

352 Item. A *per se stare* sumitur conceptus communis omnibus per se subsistentibus. Sed albedo, que est accidens, potest per se stare, saltem per potentiam divinam, quia potest separari a subiecto. Igitur tunc accidentis et substantie esset unus conceptus communis, scilicet sumptus a *per se stare*.

353 Item. Materie et forme est bene unus conceptus communis. Quarum utraque est substantia. Igitur similiter substantie et accidenti erit unus conceptus communis. Et patet consequentia, quia sicut forma se habet ad materiam, sic accidens ad substantiam. Unde sicut accidens ad substantiam subiective est cum seipso formaliter, ita forma est subiective per materiam cum seipso formaliter. Et sic non apparet ratio quin ita bene possit esse conceptus communis substantie et accidentis, sicut forme et materie.

354 Item. Si hoc non sit ⟨propter univocationem⟩ commune substantie ⟨et⟩ accidenti quod habeant unum conceptum, hoc erit propter attributionem et dependentiam accidentis ad substantiam. Sed hoc non videtur impedire univocationem sive unum conceptum. Probatio quia: Non minus habet asinus aut lapis attributionem et dependentiam a Deo quam accidentia ad substantiam. Et tamen Deo, asino et lapidi est unus conceptus communis et uni⟨vo⟩cus, scilicet substantie. Igitur similiter substantie et accidenti erit unus conceptus communis, scilicet entis.

31 commune] univocum *E*

355 ⟨Item⟩. Ista conceditur[1] ab Aristotile septimo huius '⟨Substantia⟩ est prius ens quam accidens'. Vel ergo accipitur ibi 'ens' secundum conceptum communem, et habetur propositum; vel accipitur secundum proprium conceptum substantie; et sic nulla ibi esset comparatio nisi valde abusiva, quia sensus esset quod substantia esset prius substantia quam accidens. Et comparatio ista est valde abusiva, cum numquam accidens sit substantia. Vel accipitur ibi 'ens' secundum conceptum proprium accidentis. Et tunc propositio esset falsa, quia esset sensus quod substantia esset prius accidens quam accidens.

356 Item. Hoc nomen 'album' sumitur ab uno conceptu. Et in hoc nomine 'album' oportet intelligere accidens et substantiam, cum hoc nomen 'album' supponat pro substantia et appellat albedinem. Igitur eodem conceptu concipitur substantia et accidens.

357 Item. Per hoc nomen 'extensum' accipimus indifferenter uno conceptu omnia extensa. Sed constat quod accidentia extensa sunt, similiter et substantie. Ergo illo conceptu concipimus simul indifferenter substantias et accidentia.

358 ⟨Item⟩. Similiter mathematicus ponens hanc propositionem | 'Omnis binarius est numerus par' concipit indifferenter uno conceptu omnes binarios. Igitur illo conceptu concipit substantias et accidentia. Consequentia tenet quia: Est albedinum binarius sicut est binarius hominum. Et numeri non differunt a rebus numeratis. Igitur tam homines quam albedines sunt binarii. E20ra

359 Item. Ista conceditur quod 'Albedo et homo sunt due res'. Et tunc hoc nomen 'res' vel accipitur secundum conceptum communem substantie et accidenti; et habetur propositum. Vel accipitur secundum proprium conceptum 'substantie'; et sic propositio esset falsa, quia non sunt due substantie. Vel accipitur secundum proprium conceptum 'accidentis'; et tunc esset falsa, ut prius

360 Item. Ista propositio est per se 'Rationale est ens'. Et non capitur ibi 'ens' secundum proprium conceptum 'accidentis', quia esset falsa. Nec secundum proprium conceptum 'substantie' quia: Tunc ipsa non esset per se, eoquod *substantia* est genus, et *rationale* est differentia. Modo genus non dicitur per se de differentia, ut habetur[2] tertio huius et quarto *Ethicorum*. Igitur oportet ibi capere 'ens' secundum conceptum communem. Et habetur propositum.

361 Item. Cum potentie dividantur per obiecta, necesse est uni potentie assignare unum obiectum proprium, scilicet unum vel re vel

33 genus] ens *E*

1 *Metaph*. VII 1, 1028a32–34.
2 *Metaph*. III 3, 948b26–27; *Eth. Nicom*. IV passim.

ratione. Modo primum obiectum intellectus ponitur ens, ⟨inquantum ponitur 'ens'⟩ non solum pro substantia, quia accidentia intelliguntur; nec solum pro accidente, quia substantie intelliguntur. Igitur ponitur primum obiectum ut se extendat!! ad substantias et accidentia. Ideo necesse est substantias per accidentia uniri vel re vel saltem ratione.

362 Item. Si non esset conceptus communis substantie et accidentibus, sequitur quod iste essent concedende quod 'Omne ens (vel 'Nullum ens ⟨est accidens⟩ vel substantia'. Consequens ⟨est⟩ falsum. Probatur consequentia quia: Si acciperetur 'ens' pro conceptu proprio 'substantie', prima pars disiunctive esset vera; et ⟨si⟩ pro proprio conceptu 'accidentis', secunda esset falsa. Igitur cum propositio es⟨se⟩t falsa, neutro modo accipitur, sed pro conceptu communi.

363 OPPOSITUM arguitur per Porphirium dicentem[1] quod 'ens' dicitur equivoce de decem predicamentis. Et hoc etiam videtur velle Aristotiles in primo *Phisicorum*. Item. In illo quarto dicit[2] Aristotiles quod est de 'ente' sicut de 'sano'. Modo 'sanum' non dicitur de urina et cibo secundum unum conceptum, ymo secundum conceptus valde diversos, quoniam urina non dicitur sana nisi quia significativa sanitatis in animali, et secundum talem rationem non dicitur cibus sanus, vel animal sanum. Igitur similiter 'ens' non dicitur secundum unum conceptum de substantia et accidentibus. Et expresse dicit[3] Aristotiles quod entia non dicuntur secundum unum, sed ad unum, ita quod non est una ratio sed plures, que referuntur | ad differentiam pro- E20^{rb}
priam.

364 Item. Sequitur quod ens esset univocum et unum verum genus ad substantias et accidentia. Modo hoc repugnat Aristotili et Porphirio. ⟨Igitur⟩. Sed consequentia probatur quia: Non posset dici quid impediret univocationem, quoniam actus posterioris ad primum vel dependentia posterioris non potest huiusmodi univocationem impedire, quia manifestum est quia ad Primam Causam, scilicet ad Deum attribuuntur omnes alie substantie sicut posteriores ad primam. Quo tamen non observante, hoc nomen commune 'substantia' ponitur unum genus. Ideo videtur quod ita ens esset unum genus, si haberet unum conceptum communem.

1 PORPHYRIUS, *Isag*., 6,8–9 (p. 12,2–3).
2 *Metaph*. IV 2, 1003a33–35.
3 *Ibid*.

SOLVITUR QUESTIO

365 Ista questio est difficilis. Et est in ⟨ea⟩ difficultas magna propter duo. Primum est (ut puto) ⟨quod⟩ non habetur intentio Aristotilis; secundum est quod veritas fidei dissonat opinioni Aristotilis in multis accidentibus. Et ad amplificandum intentionem Aristotilis capiamus magnitudinem figuratam, et vocetur ipsa B. Tunc est dubitatio utrum figura istius magnitudinis sit res distincta ab ista magnitudine. Et de hoc inveniuntur tres opiniones. Una est quod figura simpliciter loquendo est aliquid quod est distinctum ab ista magnitudine. Secunda opinio est quod figura est ista magnitudo figurata. Et forte tertia opinio fuit Aristotilis quod nec est ista magnitudo figura, nec est simpliciter loquendo aliud, licet posset dici aliud secundum quid. Primo enim videtur quod magnitudo et figura non sint diverse res, quia tunc Deus posset eas separare et separatim reservare. Et tunc esset figura sine magnitudine, quod videtur impossibile et inymaginabile. Et etiam ⟨quod⟩ figura non sit magnitudo figurata declaratur secundum Aristotilem, quia puto quod fuit intentio Aristotilis quod non sit aliud *figura* quam *esse figuratum*, nec *motus* aliud quam *moveri*, nec *albedo* aliud quam *esse album*.

366 Sed in aeptimo huius videtur dicere[1] Aristotiles quod in dictis secundum accidens non est idem *quod quid erat esse* et *ipsum*, ita quod non est idem ⟨*album*⟩ et *esse album*, vel *sphericum* et *esse sphericum*, vel *musicum* et *esse musicum*, et sic de aliis. Ideo etiam non est idem *albedo* et *album*, et *musica* et *musicum*. Et tamen ⟨in⟩ quiditativa predicatio⟨ne⟩ verum est quod sphericitas est figura. Ideo non est idem *figura* et *figuratum*. Videtur ergo quod intentio Aristotilis sit quod *esse album* non ⟨est *esse*⟩ *aliquid* simpliciter loquendo, sed est *esse aliquale*, ⟨et *esse*⟩ *tribicubitum* non est *esse aliquid*, sed est *esse aliquantum*, et ita *esse in domo* non est *esse aliquid*, sed est *esse alicubi*, et sic de aliis predicamentis accidentium. Sed *esse lapidem* est simpliciter loquendo | ⟨*esse*⟩ *aliquid*. Igitur secundum dicta, scilicet ⟨si⟩ accipiamus E20va
hec nomina 'aliquid' et 'res' tamquam synonima, accidens non dicitur simpliciter *ens quid*; non enim dicitur simpliciter *aliquid*. Et tamen non omnino nichil est, quia dicitur aliquid *secundum quid* et cum quadam additione. Nec *esse album* est idem quod *albedo*, ⟨sed⟩ est *aliquid esse album*, vel etiam est *aliquid esse coloratum*, vel est *aliquid esse*

2 difficultas] difficultate *E* 33 quid] quia *E*

1 *Metaph.* VII 6, 1031a 15sqq.

aliquale, quamvis non sit *aliquid*, quia non est idem *aliquid* et *aliquid esse album*. Sed intellexit Aristotiles (ut credo) in septimo huius quod substantie dicuntur simpliciter entia, et accidentia non dicuntur entia nisi *secundum quid*.

367 Nota quod ista opinio Aristotilis, ut videtur, non potest sustineri de omnibus accidentibus propter repugnantiam quam habet ad fidem nostram. Nos enim ponimus quod albedo potest per se subsistere sine subiecto. Et tunc ista albedine nichil erit album. Ideo non est idem *albedo* et *esse album*. Ymo *albedo* simpliciter loquendo est *aliquid* – et ⟨non⟩ solum *secundum quid* – quod diceretur sine reductione ad substantiam.

Respondetur ad questionem secundum intentionem Aristotilis

368 Nunc est dicendum quomodo secundum ⟨intentionem⟩ Aristotilis respondetur ad questionem. Et primo dico quod est dare conceptum unum quo simul concipitur substantia et accidens, non tamen ⟨in⟩differenter sed differenter, scilicet conceptus a quo sumitur hoc nomen 'album' vel 'magnum' vel hoc nomen 'agens' vel 'patiens', et sic de multis aliis nominibus denominativis, quoniam hoc nomen 'album' supponit pro substantia et appellat albedinem. Ideo oportet quod utrumque aliquo modo intelligatur per istum conceptum a quo sumitur illud nomen 'album'. Sicut etiam hoc nomen 'simitas' significat concavitatem tamquam pro qua supponit, et connotat nasum: quia concavitas non esset simitas nec esset in naso, et ideo utrumque, scilicet nasus et concavitas includitur in illo conceptu a quo sumitur hoc nomen 'simitas'.

369 Secundo videtur michi esse dicendum quod est dare conceptum unum connotativum supponentem pro substantiis et accidentibus indifferenter, scilicet conceptus a quo sumitur hoc nomen 'idem' vel hoc nomen 'diversum' vel hoc nomen 'prius' vel 'posterius', 'causa', 'causatum' et talia. Unde sicut homo sibi ipsi est idem, sic albedo sibi ipsi ⟨est⟩ eadem, et secundum eandem rationem. Nam ex eo homo sibi ipsi est idem quia est indivisus a se vel quia homo est ipsemet ⟨homo⟩. Et sic etiam magnitudo est eadem sibi, quia est indivisa a se vel ⟨albedo est eadem sibi⟩, quia albedo est ipsamet albedo. Et ita elementa dicuntur priora mixtis et prime qualitates priores secundis qualitatibus, et possibile est quod secundum eandem rationem, quia elementa sunt ⟨cause⟩ mixtorum | et prime qualitates secundarum. Similiter sicut in E20vb substantiis inveniuntur cause efficientes, ita etiam in accidentibus secundum eandem rationem, scilicet secundum quod hoc producit illud.

Et sic videtur quod tales conceptus et nomina vim habentia supponunt simul indifferenter pro substantiis et accidentibus.

370 Sed tertia conclusio poneretur – ut credo secundum ⟨intentionem⟩ Aristotilis – quod nullus est conceptus primus supponens pro substantia et accidente a quo sumitur hoc nomen 'aliquid' vel hoc nomen 'res' vel hoc nomen 'ens', prout capiatur tamquam nomen et non tamquam participium, unde si sumatur tamquam participium, credo quod sit connotat⟨iv⟩um et quod predicetur denominative et non quiditative de terminis substantialibus. Connotat enim presentiam aut tempus, aut alio modo; de quo dictum fuit alias. Modo Aristotiles dicit quod hoc ⟨nomen 'ens' cum⟩ conveniret substantiis simpliciter et non accidentibus, simpliciter loquendo *lapis* est *aliquid* et *album* etiam est *aliquid*, quia album est substantia et non accidens, ⟨quia⟩ album secundum Aristotilem est lapis. Secundum ⟨hoc⟩ Aristotiles, ut michi videtur, credidit quod *esse album* non est *esse aliquid* et non est *aliquid*, ymo *esse album* est ⟨*esse*⟩ *aliquale* et *esse tricubitum* non est *esse aliquid* sed est *esse aliquantum*. Modo *esse album* non est nisi *albedo*, prout Aristotiles ponit. Et ideo albedo non potest dici simpliciter aliquid.

371 Et ideo Aristotiles in distinguendo predicamenta in quinto huius et in sexto huius dicit[1] quod aliud significat *quid*, aliud *quale*, aliud *quantum* etc. Modo non est idem conceptus secundum quem intelligo *esse aliquid* et *esse quale* et *quantum*, et sic de aliis. Ideo nullus videtur conceptus quiditativus substantiarum et accidentium ut est aliquod nomen essentialiter predicativum de terminis substantialibus et accidentalibus; dico scilicet 'essentialiter predicativum' quod predicatio fit cum hoc verbo 'esse'. Verbi gratia, ⟨si⟩ hec esset predicatio essentialis: 'Esse hominem est esse animal' et 'Esse animal est ⟨esse⟩ aliquid', et hec est predicatio essentialis: 'Esse album est esse coloratum' et 'Esse coloratum est esse aliquale'. Et ideo etiam hec est predicatio quiditativa et essentialis 'Album est coloratum', quia erit vera, addito 'esse'. Sed hec non est quiditativa 'Album est homo'; nec etiam ista 'Album est aliquid', quia esse album non est esse hominem; vel etiam esse album non ⟨est⟩ esse aliquid, sed est esse aliquale. Et sic sepe intelligit Aristotiles quando dixit de animalibus que sunt, idem esse aut non idem. Verbi gratia, homo et albedo sunt idem esse aut non idem; hoc est dictu quod predicatio est vera, sed non essentialis, quia non esset vera **++** cum hoc vera esse **++**.

1 habentia] sequentia *E*

1 *Metaph.* v 7, 1017a23–28; vi 2, 1026a37–b1; conferas vii 1, 1028a11–12.

Dubitatur

372 Sed dubitatur: Exquo tu dicis 'Albedo non est aliquid; ergo albedo nichil est'; et per consequens ista propositio 'Albedo est albedo' non est magis vera quam ista 'Chymera | est chymera'? Respondeo quod E21ra si per hanc dictionem 'nichil' intelligimus solum negari esse illud quod simplicitur loquendo est aliquid, tunc diceremus quod esse album vel albedo nichil est. Ita videtur etiam Aristotiles loqui in septimo huius querens utrum sanare, vadere, esse album etc. sint entia vel non. Respondet quod nullum istorum est ens secundum se, sed solum vadere, sanare, esse album etc. concederentur esse ens ad istum sensum quod aliquid est quod vaderet, vel quod aliquid est quod sanaret, vel aliquid est quod est album. Sed si ista dictio 'nichil' intelligatur negare omne quod est aliquid, sive simpliciter loquendo sive secundum quid et cum additione, tunc non debet concedi quod esse album vel albedo nichil sit, quia albedo potest dici aliquid secundum quod omnia 'esse album' vel 'albedo' est *aliquid* esse album, *aliquid* esse coloratum et *aliquid* esse aliquale. Modo ad hoc quod propositio sit vera in qua aliquis terminus affirmatur de ipsa, sufficit quod supponeret pro eo quod est aliquid, sive simpliciter loquendo sive *secundum quid*. Ideo hec est vera 'Albedo est albedo', et non ista 'Chymera est chymera'.

373 Item. Nota quod Plato ponit ⟨differentiam⟩ inter *esse* et *esse aliquid*. Unde accidentia dicit esse, sed non esse aliquid. Et hoc quia 'esse' connotat presentiam. Et ita sunt accidentia presentia sicut substantie. Et ideo etiam Plato concessisset accidens ⟨esse⟩ ens, scilicet albedinem esse entem, prout 'ens' esset participium, quia sequitur 'Est; igitur ⟨est⟩ ens', licet non sequatur 'igitur est aliquid'. Sed et tunc, si dicamus 'Albedo ⟨est⟩ nichil', potest exponi 'nichil', quia albedo non est aliquid (et hoc conceditur), vel quia 'Albedo non est hec' negaretur. Et sic non est simile de albedine et chymera.

De opinione secundum fidem tenenda

374 Sed tunc videtur michi quod hec opinio Aristotilis, aut etiam Platonis, non est tenenda de omnibus accidentibus, quia fides nostra videtur de aliquibus esse contraria huic opinioni. Nam per potentiam divinam accidentia possunt esse sine subiecto in sacramento altaris. Si ergo albedo sit sine subiecto, tunc non est idem *albedo* et *esse album*, quoniam ista albedine nichil esset album. Tunc etiam albedo est aliquid, et *hoc aliquid* est, quia est secundum se, et non propter hoc quod substantia est alba.

375 Et ideo, si dicamus quod albedo secundum seipsam est aliquid, tunc ego crederem quod est dare unum conceptum quiditativum supponentem indifferenter pro albedine et lapide, et propter attributionem huiusmodi ad illud, scilicet conceptus a quo sumitur hoc nomen 'aliquid' vel hoc nomen 'res' vel hoc nomen 'ens', prout ista nomina accipiuntur synonyme. Et ultra concederem quod hoc nomen 'aliquid' est vere univocum et univoce predicativum de hoc nomine 'lapis' et de hoc nomine 'albedo', quia non | apparet michi quid impediret univocatio- E21rb
nem. Exquo secundum unum conceptum dicitur de eis, et non per additionem unius ad alterum, quia dictum est quod albedo esset aliquid, quamvis nulla substantia esset alba. Et sic videretur michi quod hoc nomen 'albedo' esset de eodem predicamento cum nominibus substantialibus, quia predicamenta distinguuntur secundum diversos modos predicandi. Unde predicamentum Substantie attenditur penes hoc quod [est] *predicari in quid* est hoc, et predicamentum Qualitatis *in quale* est hoc. Modo albedo ita per se existens esset *aliquid* et *hoc aliquid*. Et si quereretur ⟨quid esset⟩ hoc, responderetur quod hoc esset albedo. Et tamen propter hoc non pertinet ad alia predicamenta, quia non esset idem quod *esse album*. Et ideo adhuc esse album esset de predicamento Ad aliquid et esse tricubitum de predicamento alio. Et tunc posset vocari esse album uno nomine A vel B, aut sicut tu velles imponere.

Ad rationes secundum intentionem Aristotilis

376 Ad rationes. Et primo secundum ⟨intentionem⟩ Aristotilis. Quando dicitur 'est dare ⟨duplicem⟩ modum essendi, scilicet esse, vel esse formaliter', dico quod si de hoc verbo 'esse' dicto de substantiis et accidentibus sumatur conceptus huius nominis 'ens', illud nomen, idest ista dictio est connotativa connotans essentiam, et erit per prius. Et sic est bene conceptus communis, ut dicebatur.

377 Ad aliam quando dicitur quod materie et forme est conceptus communis, posset dici quod verum est, quia utrumque est aliquid. Et forte quod Aristotiles dixisset quod, ⟨simpliciter⟩ loquendo et proprie, compositum est aliquid ⟨et⟩ materia non est aliquid, sed est potentia ad esse formaliter. Et ⟨forma⟩ materialis non esset aliquid, sed esset actus quo aliquid est. Sed tamen secundum fidem debemus dicere quod utrumque. Et sic est eis communis conceptus. Ymo etiam est communis conceptus albedini et albo, ut dicebatur.

378 Ad tertiam dico quod attributio non tollit quin sit bene conceptus communis, sed esse aliquid et non esse aliquid bene tollit. Et ideo Deo et asino est bene unus conceptus communis quiditativus, quia uterque *est*. Sed non sic de substantia et accidente secundum Aristotilem.

Ad rationes in principio datas

379 Ad rationes dico quod substantia est prius ens quam accidentia sive per prius aliquid, ad istum sensum quod ipsa est aliquid, simpliciter loquendo; et accidens non videtur ⟨esse⟩ aliquid, nisi cum additione. Et simplex precedit naturaliter additionem.

380 Ad aliam, que arguebat de conceptu de quo sumitur 'album' vel a quo sumitur 'extensum' vel a quo sumitur 'binarius': ille rationes conceduntur, quia sunt termini connotativi. Sed quando dicitur quod album et albedo sunt | due res, credo quod Aristotiles simpliciter E21va negasset. Sed sunt una res et quedam dispositiones eius.

381 Ad aliam credo quod genus ⟨potest⟩ predicari de differentia.

382 Ad aliam dico quod unius potentie cognoscitive possunt bene esse plura obiecta, et non convenientia in aliqua ratione una sive respectu, scilicet visus obiecta sunt et color et lumen et motus et magnitudo. Sed forte aliqua fit reductio ad unum. Sed cum dicis "Quomodo igitur potentie distinguuntur per obiecta?", dico quod sic, si aliquod obiectum cognoscatur ab una sic quod non cognoscibile ab altera.

383 Ad ultimam dico quod si 'ens' sit participium, non omne ens est substantia. Sed si sit nomen, ita quod sit synonimum cum hoc nomine 'aliquid', Aristotiles dixisset quod omne ens esset substantia, quia omne quod est aliquid, est substantia. Sequitur questio.

QUESTIO I IA: *UTRUM FIGURA SIT RES FIGURATA, VEL FIGURA DIFFERAT A RE FIGURATA*

384 Utrum figura sit res figurata, vel figura differat a re figurata. Arguitur primo quod figura non est res figurata quia: Albedo non est figura. Igitur figura non est res figurata. Antecedens conceditur communiter et consequentia tenet per simile.

385 Item. Figura est accidens de predicanento Quantitatis. Res autem figurata est substantia, ut terra vel lapis; vel saltem res in elemento figurato est accidens de predicamento Quantitatis, sicut magnitudo.

386 Item. Ponamus quod magnitudo sit cerea que prius fit cubita et postea spherica. Tunc manifestum est quod cera fit spherica. Et tamen cera non fit cera, et hoc nullus intelligit. Igitur propter rationem differt esse et esse spericum. Et non posset dici unde differrent preter rationem nisi propter differentiam figure a figurato.

387 Item. De esse spherico ad esse cubitum fit mutatio. Sed non de cera ad ceram. Igitur differt cera et esse cubitum vel sphericum. Et

sicut diximus prius, non posset assignari unde differret nisi spheritas, sive talis figura differrent a tali cera spherica.

388 Item. Alia dispositio est esse sphericum et alia esse cubitum; et aliter non esset mutatio de hoc ad illud. Sed non est alia dispositio ⟨in esse⟩ cera et cera. Unde non potest esse mutatio de cera in ceram sive de esse cera ad esse ceram. Igitur non est idem cera et esse cubitum vel sphericum.

389 Item. Cere accidit esse sphericum. | Et cere non accidit esse cera. E21vb Igitur refert esse ceram et esse sphericum, et preter rationem. Et regreditur idem quod prius.

390 Item. Cera est in potentia; et ⟨potentia⟩ removetur ab actu aliquid esse sphericum, scilicet quando est cubita. Et tamen cera non est in potentia sic quod removeatur ab actu aliquid esse ceram. Ergo concluditur ut prius.

391 Item. Ceram esse sphericam displicet tibi; igitur tu vis eam facere cubitam. Sed cera non displicet tibi. Ergo ceram non ceram esse sphericam. Igitur differunt. Et si differunt, oportet dicere quod ⟨in⟩ cera displicet tibi figura, quia ceram esse sphericam vel est cera tantum. – et sic non differret (quod est contra dictum) – vel ceram esse sphericam est figura tantum – et tunc haberetur propositum, scilicet quod cera differt a figura –, vel ceram esse sphericam est compositum ex cera et figura; et sic adhuc ceram oportet differre a figura, quia partes componentes aliquid differunt abinvicem. Et sic habetur propositum.

392 Item. Auctoritas Aristotilis in septimo huius dicit[1] quod in dictis secundum accidens differt *quod quid erat esse* et *ipsum*, ut *album* et *esse album*, *musicum* et *esse musicum*. Modo esse sphericum vel cubitum est dictum secundum accidens de eo quod dicitur cubitum vel sphericum, quoniam hec est per accidens 'Cera est spherica' vel 'est cubita'. Igitur differt *sphericum* et *esse sphericum*. Et non sphericum est cera figurata et esse sphericum est ipsa figura, quia non est aliud quod debet differre ab ipsa cera figurata. Igitur differt res figurata et cera.

393 Confirmatur per istam auctoritatem famosam quod essentie sive quiditates ⟨diversorum⟩ predicamentorum sunt impermixte sive diverse. Hoc enim accipitur[2] ab Aristotile primo *Posteriorum* et a Commentatore duodecimo *Methaphisice*. Modo figura et cera que est figurata sunt diversorum predicamentorum.

28 accidens] et conceptus *add. E*

1 *Metaph.* VII 4, 1029b12 sqq.
2 Cfr. *Anal. Post.* I 5, 79b5 sqq.; AVERROES, *In XII Arist. Metaph. comm.* ad 1091b37.

394 OPPOSITUM arguitur quod: Si figura sit distincta a magnitudine figurata, tunc Deus posset separare eas et separatim conservare, quia omnes res adinvicem ipse potest abinvicem separare et conservare, nisi ubi una esset pars alterius. Sed videtur impossibile et inymaginabile quod sit figura sine magnitudine. Igitur figura non est distincta res a magnitudine figurata.

395 Item. Figura non poneretur distincta a figurato nisi quia videretur differre figuratum et esse sphericum et cubitum, et sic de aliis. Igitur si ista differunt, non debet dici quod figura differat a figurato. Ideo declaro quod | non differunt figuratum et esse figuratum, quia pari E22ra ratione differrent figura et esse figuram. Et sic in infinitum multiplicarentur entia vel dispositiones entium. Quod est inconveniens.

396 Item. Figura diffinitive dicitur esse *que termino vel terminis clauditur*. Sed res figurata est que termino vel terminis clauditur. Igitur figura est res figurata.

397 Non est ponenda pluralitas in natura, si totum possit salvari per pauciora. Modo totum potest salvari, non multiplicando figuram super figuratam rem, sicut dicunt taliter opinantes et sicut apparet si rationes que videntur arguere diversitatem, solventur.

SOLVITUR QUESTIO

398 Ad istam questionem videtur prima facie quod Aristotiles figuram distinguebat a figurato, quia determinat[1] in septimo huius quod in dictis secundum accidens differt *ipsum* et *esse ipsum* vel *album* et *esse album* etc. Et tamen enscubitum et sphericum esse dicitur per accidens. Igitur.

399 Tamen forte potest dici quod ista determinatio non debet intelligi universalis sed particularis. Unde bene verum esset quod res non posset se aliter habere et aliter. Et hoc, circumscriptis extrinsecis, nisi per aliquam diffinitionem diversam ab ea sibi additam vel ab ipsa remotam, vel ubi propter partes aliter situari adinvicem. Sed propter partes situari adinvicem aliter et aliter totum bene aliter et aliter se habet absque aliquo addito sibi vel ab ipso remoto. Et ideo de necessitate concluditur quod albedo vel nigredo sit dispositio diversa ab albo vel a nigro. Res enim aliter se habet et aliter si modo sit alba et postea nigra, omnibus extrinsecis circumscriptis et absque mutatione

24 ens] est *E*

1 *Metaph*. VII 4, 1029b23 sqq.

situs partium. Ideo oportet concludere quod est ibi dispositio addita vel remota differens ab ista re que modo erat nigra et postea alba.

400 De talibus enim verum dicit[1] Aristotiles quod differt *album* et *album esse* et *candidum* et *candidum esse*; et ita de aliis. Sed sic non est de figura, quia per solum motum localem partium per quem partes diversificant situs suos adinvicem, fit res modo taliter figurata et postea aliter. Et si partes diversificent situm, non propter hoc oportet aliquid esse additum quia: Ponamus quod sit totum compositum ex partibus A, B, C, D; et modo B sit iuxta A; et si C interveniat, distabit ab A. Et sic mutabit situm. Et nunc adveniat de novo aliquid quod non esset | in isto toto composito ex A, B, C, D. E22rb Et per istum modum videtur posse quod figura non sit res distincta a re figurata et quod *figuratum* et *esse figuratum* non differunt, licet *album* et *esse album* differunt. Et puto quod ita sit dicendum tam quia non est pluralitas ponenda sine necessitate, tam quia Deus posset separare figuram a magnitudine figurata et separatim conservare. Si essent diversa, intelligat⟨ur⟩ tamen quod si ponamus magnitudinem esse distinctam a substantia, tunc cera figurata et magnitudo figurata non essent distincta a figura. Et si cera ponatur magnitudo, tunc cera figurata esset figura. Et ad hoc intentum valet quod diffinitio figure convenit figurato.

Ad rationes

401 Ad rationes. Ad primam dicendum est quod non est simile de albedine et de figura.

402 Ad aliam conceditur quod cera et magnitudo fit spherica, et tamen non non fit cera vel magnitudo. Sed ista diversitas locationis non est propter aliquid additum vel remotum, sed propter motum localem partium per quem partes sumantur adinvicem. Nota tamen, sicut credo, quod motus differt a mobili et sic fit dispositio sibi addita. Sed tamen per huiusmodi motum nichil remanet intrinsece acquisitum, sed solum partes situaliter se habent secundum situm adinvicem.

403 Ad aliam concedo quod sit mutatio secundum quod quod erat cubitum fit sphericum. Et ita mutatio non est nisi motus localis partium, et non quod aliquid aliud generetur aut corrumpatur vel removeatur.

404 Ad aliam concedo quod alia et alia est esse sphericum et esse cubitum ad istum sensum solummodo quia partes aliter et aliter situate sunt adinvicem.

10 nunc] non *E* 25 locationis] locutionis *E*

1 *Metaph.* VII 4, 1029b23 sqq.

405 Ad aliam dico quod cere accidit sphericum ad istum sensum quod hec est per accidens vera 'Cera est spherica', non quia spheritas sit res addita, sed quia contingit quod partes sint aliter adinvicem situate.

406 Ad aliam similiter dico quod erat cera in potentia ad sphericum esse, non tamen tamquam ad esse distinctum, sed solum ad istum sensum quod partes per motum localem et poterant aliter et aliter situari.

407 Ad aliam dico quod si esse sphericum displicet tibi, hoc non debet esse nisi ad istum sensum, scilicet qui dictus est, scilicet quia partes sunt aliter situate.

408 Ad auctoritatem Aristotilis dicitur quod non debet intelligi universaliter, | sicut dictum est. E22va

409 Similiter ad ultimam auctoritatem potest dici quod essentie predicamentorum sunt impermixte ad istum sensum quod termini de uno predicamento non ponantur modo essentiali de termino alterius predicamenti et quiditative, sed modo denominative. Sequitur

QUESTIO 12A: *UTRUM NEGATIONES SINT ENTIA*

410 Utrum negationes sint entia. Arguitur quod non quia: Si Deum non esse esset aliquid, illud esset Deus. Sed Deum non esse non est Deus. Igitur Deum non esse non est aliquid. Et minor manifesta est quia: Semper fuit Deus necessarius et numquam fuit Deus impossibilis. Et tamen semper fuit et numquam fuit necessarium Deum non esse. Igitur manifestum est quod Deum non esse non est Deus.

411 Confirmatur quia: Si Deum non esse esset aliquid, tunc ista propositio 'Deus non est' haberet ex parte rei aliquam debitam correspondentiam, et per consequens ⟨esset⟩ vera. Igitur Deum non esse nichil est.

412 Similiter ostendo quod chymeram non esse nichil est; vel etiam chymeram non esse yrcocervum, quamvis ille propositiones sint vere, quia non potest dici quod chymeram non esse sit chymera; vel etiam dispositio sibi addita, quia nichil est chymera, et per consequens etiam nichil est dispositio sibi addita.

413 Similiter arguitur quod lapidem non esse asinum nichil est quia: Si lapidem non esse asinum est aliquid, aut esset lapis, aut esset asinus, aut esset duo ista. Sed videtur quod non est aliquid istorum, quia, omnibus istis remotis et annichilatis, adhuc esset verum dicere quod lapis non esset asinus sicut nunc verum. Et ita ad veritatem istius negative nullum illorum requiritur.

414 OPPOSITUM videtur patere per Aristotilem in litera. Arguitur et per rationem quia: Verum est chymeram non esse. Et propositio non dicitur vera nisi quia ita est in re sicut ipsa significat. Igitur ita est in re sicut ipsa significat 'Chymera non est'. Sed esse in re ita non potest esse aliud quam chymeram non esse. Igitur chymeram non esse est in re.

415 Item. Ista propositio 'Lapis non est asinus' est secundum se contrarii significativa. Igitur secundum se totam significat aliquid vel aliqua. Et tamen secundum se totam non significat aliud quam lapidem non esse asinum. Igitur lapidem non esse est aliquid vel aliqua.

416 Item. Ista propositio 'Lapis non est asinus' significat quod homo non est asinus sive significat lapidem non esse asinum. Igitur lapidem | E22vb non esse asinum est significatum per istam propositionem. Exquo sequitur ulterius quod lapidem non esse asinum est. Et patet ista ultima consequentia quia: Ista propositio '*Lapidem non esse asinum* pro aliquo supponit'. Si⟨c⟩ ergo est una propositio affirmativa cuius subiectum est hoc totum *lapidem non esse asinum*. Modo propositio affirmativa non est vera nisi subiectum pro aliquo supponat. Igitur lapidem ⟨non⟩ esse ⟨asinum⟩ pro aliquo supponit. Igitur verum est dicere quod lapidem ⟨non⟩ esse asinum est.

417 Et adhuc ista consequentia confirmatur per illam regulam quod

Ad propositionem affirmativam de 'est' tertio adiacente sequitur propositio de secundo adiacente.

Verbi gratia sequitur 'Lapis est albus; igitur lapis est'. Igitur ad istam propositionem '*Lapidem non esse asinum* est significativum' sequitur quod lapidem non esse asinum est. Et sic habetur propositum.

418 Item. Lapidem non esse coloratum est lapidem non esse album, sicut econverso lapidem esse album est lapidem esse coloratum. Sed [sic]ut prima propositio erat vera, oportebat quod tam subiectum quam predicatum supponeret pro aliquo. Igitur lapidem non esse coloratum est aliquid.

SOLVITUR QUESTIO

419 Nota. Primo dicetur de affirmativis, secundo de negativis. Sed primo nota quod 'negatio' aliquando capitur pro ista dictione 'non'; et sic patet quod negatio est aliquid. Aliquando capitur 'negatio' pro termino

21 regulam] rationem *E*

infinito, ut pro illo termino 'non homo'; et sic patet adhuc quod negatio est aliquid vel aliqua, ymo etiam negatio sic accepta bene supponit pro aliquo. Unde hec est vera 'Non-homo est aliquid'; asinus enim est aliquid. Tertio modo accipitur 'negatio' pro propositione negativa. Et adhuc manifestum est quod negatio est aliquid vel aliqua.

420 De hoc autem est dubitatio. Et de hoc facte fuerunt rationes ad utramque partem. Et ad istum sensum dico primo de affirmativis. Unde dico quod Deum esse est aliquid, quia est ipse Deus, et hominem esse est ipse homo; et sic de aliis. ⟨Et⟩ ut prius dicebatur, etiam hominem esse animal est aliquid, quia homo est homo, et non aliud predicatum quiditativum; vel significat habitum in eo pro quo subiectum supponit. Igitur hominem esse animal non est nisi homo; et albedine esse coloratum non est aliud nisi albedo.

421 Similiter dico quod hominem esse album ⟨significat⟩ aliquid vel aliqua. Vel enim est ipsa albedo vel est compositum ex albedine et homine. Sed hominem esse asinum credo quod nichil est, ita quod nec est aliquid nec aliqua. Nam si esset aliquid vel aliqua, tunc ista propositio 'Homo est asinus' | haberet ex parte rei debitam correspondentiam, et E23ra esset ita in re sicut per ipsam significatur. Et sic sequeretur quod ista propositio esset vera. Modo hoc est falsum. Et ita diceretur de omni propositione affirmativa falsa.

422 Tunc venio ad negativas. Et dico primo quod Deum non esse nichil est, sicut prius arguebatur. Similiter chymeram non esse nichil est, sicut prius arguebatur. Similiter hominem non esse animal nichil est, quia si esset aliquid vel aliqua, propositio esset vera dicens quod homo non est animal, quia iam haberet correspondentiam ex parte rei, et ita esset in re sicut per eam significatur. Similiter videtur michi quod lapidem non esse asinum non est aliquid nec aliqua, ⟨quia si esset aliquid vel aliqua⟩, esset vera propositio si nec esset lapis nec esset asinus.

423 Verum est tamen quod ista ratio non est multum demonstrativa, quia posset aliquis dicere quod, lapide existente, lapidem non esse asinum est homo. Lapide autem non existente, concedetur quod lapidem non esse asinum nichil est.

424 Sed contra talem responsionem potest obici quia: Ab eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa.[1] Sed propter lapidem esse vel non esse non mutatur veritas propositionis huius 'Lapis non est asinus'. Igitur lapidem non esse asinum non est lapis vel asinus. Igitur lapidem non esse asinum nichil est. Et hoc videtur michi probabile, sive ratio ad hoc valeat sive non.

1 Arist., *Categ.* 5, 4b8–10; 12, 14b21–22.

425 Sed ultra nota quod cum *esse animal* sit idem quod *animal*, et *esse lapidem* est idem quod *lapis*, et ⟨*esse*⟩ *album* idem quod *albedo*, manifestum est quod non esse animal est aliquid, vel non esse album, si ista dictio capiatur tamquam infinitans, quia non-esse erit idem quod non-animal et non esse album, ita quod non-albedo. Modo aliquid esse non animal est aliquid (puta lapis) et aliquid non-albedo (puta nigredo). Ymo sic diceretur quod non esse chymeram est aliquid, quia non esse chymeram valet idem quod non-chymera. Modo aliquid est non-chymera (puta asinus). Sed quando diceretur quod lapidem non esse asinum nichil est, hec dictio 'non' accipiebatur tamquam negans, et non solum tamquam infinitans.

Ad rationes

426 Hoc viso, rationes que ad primam partem fiebant, conceduntur. Et respondendum est quod ad alias respondeo. Ad auctoritatem Porphyrii potest dici quod negationes sunt entia, idest propositiones negative sunt entia. Vel et loquebatur de negatione | infinitante, quia vellet dicere quod terminus infinitus bene supponit pro aliquo, ita quod aliquid est non homo, aliquid est non asinus. E23rb

427 Ad aliam dico quod ista propositio 'Homo non est asinus' est vera. Concedo ergo. ⟨Quando⟩ tu dicis quod est ita sicut ipsa significat, dico quod verum est in mente, quia isti propositioni vocali correspondet una mentalis negativa que significatur per istam vocalem. Sed ultra cum tu dicis: 'si mentalis est vera, dico quod sit ita in re sicut ipsa significat', dico quod hoc non oportet, quia si nec esset lapis nec asinus, tamen ista esset vera 'Lapis non est asinus'. Et tamen in re extra nichil esset significatum per istam propositionem ut per eius terminos. Et si nichil esset extra, tunc non esset ita nec aliter.

428 Et ita breviter dico quod ad veritatem negative non requiritur quod sit ita in re sicut ipsa significat, sed solum requiritur quod non sit ita in re sicut affirmativa sibi opposita significaret. Causa huius est quia negativa non significat quod sit aliquo modo in re, sed sufficit quod alio modo. Et ideo proprie loquendo ista regula ⟨quod⟩ ad veritatem propositionis requiritur quod ita sit in re sicut ipsa significat debet restringi ad affirmativas. Sed de negativis debet addi regula quod ipse ex eo sunt vere quia non est ita in re sicut affirmative sibi opposite significant.

429 Ad aliam quod ista totalis propositio est significativa, concedo, quia vocalis significat mentalem, et mentalis significat veras res extra

14 ad] *Ec om. E* 33 sit] *Ec om. E*

ratione suorum terminorum. Unde ista 'Lapis non est asinus' significat lapides et asinos. Sed ista dictio 'non' nichil significat ad extra. Unde ad extra nichil plus significatur per istam 'Lapis est asinus' quam per istam 'Lapis non est asinus', quia non significantur ad extra nisi asini et lapides. Sed alio modo significantur et alio modo intelliguntur. Unde ista non significat nisi certum modum intelligendi. Possem enim intelligere lapidem et asinum per modum ydemptitatis; et sic formo affirmativam quod lapis est asinus. Vel possem intelligere per modum divisionis, aut saltem diversitatis et non-ydemptitatis; et sic formo negativam. Modo ydemptitates et diversitates rerum adinvicem nichil multiplicantur | in rebus eisdem et diversis. E23va

430 Et similiter ad istam rationem concedo quod aliquid est significatum per propositionem 'Lapis non est asinus', ymo aliquid significatur per eam, scilicet lapides et asini. Sed ex hac lapidem non esse asinum ⟨non sequitur quod⟩ sint iste res significate. Et est falsa, sicut hec oratio 'asinus risibilis' ⟨significat⟩ omnes asinos et omnes risibiles, et tamen pro nullo supponit. Unde asinus risibilis nec est asinus nec est risibilis nec ambo simul, ymo nichil.

QUESTIO 13A: *UTRUM UNUM ET MULTA OPPONUNTUR ADINVICEM*

431 Utrum unum et multa opponuntur adinvicem. Probo quod non quia: Que vere predicantur ad se invicem, ista non opponuntur adinvicem. Sed sic est de uno et multis, quia: Dicit Aristotiles[1] in primo *Phisicorum* quod multa sunt. Sed hec est necessaria: 'Esse si partes concederentur esse, suum totum'. Ergo non opponuntur.

432 Item. Partes non opponuntur suo toti. Sed unum est pars multorum. Igitur.

433 Item. In decimo huius dicit[2] Aristotiles quod unum non opponitur nisi uni; ergo non multis. Sed iste terminus 'multa' opponitur isti termino 'pauca'. Ergo non opponitur isti termino 'unum', exquo iam dictum est quod unum opponitur nisi uni tantum.

434 Item. Ens non opponitur multis; ergo neque unum. Et patet consequentia, quia ens et unum sunt idem essentialiter et convertibiliter, ut habetur in illo quarto.

8 affirmativam] consequentiam *E*

1 *Physica* I 2, 185a20sqq.
2 *Metaph.* X 5, 1055b30.

435 Item. Si opponerentur, hoc esset privative, ut vult Aristotiles. Sed probo quod non opponuntur privative quia: Non ille terminus 'multa' est positivus, ymo ille terminus 'unum' est positivus et non privativus. Quod probatur. Primo quia: Omnis privatio significat vel connotat aliquam carentiam et per consequens aliquam connotationem diminutionis, scilicet aliquam diminutionem. Modo ille terminus 'unum' nullam diminutionem significat vel connotat; quod videtur de Deo; ⟨Deus⟩ enim est summe unus, et nullum predicatum potest sibi attribui quod significet vel connotet aliquam diminutionem. Etiam: Unum est principium numeri. Modo principium in aliquo genere non debet esse privativum, cum privatio sit posterior habitu. Et iterum: Unum est notius numero, cum sit mensura numeri, ut patet decimo huius. Modo privatio non est notior habitu, ymo ignotior. Ideo ille terminus 'unum' non est privativus sed positivus. | Et sic non opponitur privative. Igitur E23vb non opponitur. Idem habetur in quarto huius et in decimo.

SOLVITUR QUESTIO

436 Nota. Quando querimus utrum unum et multa opponuntur adinvicem, questio potest intelligi vel terminis supponentibus materialiter, vel ipsis supponentibus personaliter sive significative. Si termini supponant materialiter, est facile respondere. Primo dico quod unum opponitur multis, quia una virtus opponitur duobus vitiis extremis, et ⟨si⟩ una caliditas non est contraria omnibus frigiditatibus, saltem omnis caliditas perfecta est contraria omni frigiditati perfecte. Secundo etiam dico quod unum non opponitur multis, ymo unum nulli opponitur, quia Deus est summe unus et nulli opponitur. Tales enim indefinite simul stant, ymo etiam ille due simul stant communiter 'Quod opponitur uni, uni non opponitur' et 'Quod opponitur uni, uni opponitur'. Nec contradicunt, quamvis una sit universalis et alia particularis.

437 Et est sicut esset de istis duobus: 'Alicuius contradictionis altera pars non est vera' et 'Cuiuslibet contradictionis altera pars est vera'. Ille enim non contradicunt, quia sunt ambe vere. Si ergo tu queras que sua sit contradictoria, primo dico quod ista est sua contradictoria 'Cuiuslibet contradictionis utraque pars est vera'. Et ita in proposito contradictoria istius ad 'Quod opponitur uni, uni non opponitur' est ista 'Omne quod opponitur uni cuilibet uni opponitur'. Unde regula est in inferendo contradictoriam alicuius propositionis quod semper

9 diminutionem] connotationem *E*

si una ⟨sit⟩ affirmativa, quod alia est negativa, et econverso; et omnis terminus qui erit distributus in una, erit non distributus in alia, et econverso. Et ideo, quia ille terminus 'uni' in neutra distribuitur, igitur non est contradictio. Et similiter ille terminus 'pars' in neutra distribuebatur dicendo 'Cuiuslibet contradictionis altera pars est vera' et dicendo 'Alicuius contradictionis altera pars non est vera'. Ideo non erat contradictio.

438 Sed ista dicta non sunt ad intentionem Aristotilis. Ideo de oppositione unius et multorum – quia Aristotiles intendebat capere terminos materialiter –, ideo pono aliquas conclusiones. Prima est quod isti termini 'unum' et 'multa' non opponuntur adinvicem, si capiantur difformiter, quia vere predicantur de se vel etiam de eodem, quoniam unum et idem | est unum totum et multe partes, et eadem dicuntur una E24ra specie et multa numero; et sic de genere et specie.

439 Secunda conclusio ⟨est quod⟩ isti termini 'unum' et 'multa' opponuntur adinvicem, si capiantur uniformiter. Et voco hic 'capere uniformiter' quando, accepta una distinctione secundum quam aliqua dicantur multa, quod unum sumatur pro carentia huius distinctionis. Sic enim dico quod isti termini 'unum' et 'multa' opponuntur quia repugnat eis verificari de se invicem de eodem. Verbi gratia, numquam sunt multa unum ipsorum, quocumque modo accipiamus 'multa', et etiam numquam unum est multa quorum multorum ipsum sit unum. Et hoc apparet de se manifestum.

440 Tertia conclusio est quod dicti termini opponuntur adinvicem privative, quia ille terminus 'multa' dicitur secundum rationem alicuius distinctionis sive divisionis vel diversitatis, vel unum dicitur secundum carentiam huiusmodi divisionis vel diversitatis, et non secundum negationem simpliciter sed secundum negationem supponentem subtractum eius termini supponentis pro aliquo. Et ideo non oportet quod ille terminus 'unum' dicatur vere de omni termino de quo negatur ille terminus 'multa'. Unde chymera non est multa, et tamen non est unum, quia nichil est. Modo talis negatio supponens subtractum vocatur negatio prima. Et sic manifestum est quod unum et multa opponuntur privative.

Ad rationes

441 Ad rationes. Ad primam concedo quod multa sunt unum. Sed hoc est accipiendo etiam 'unum' et 'multa' difformiter, quia multe partes sunt totum, sed numquam multe partes sunt sunt una illarum.

29 supponentis] supponentem *E*

442 Ad aliam concedo quod unum est pars multorum. Sed ille terminus ‘unum’ non ⟨est⟩ pars illius termini ‘multa’. Ideo bene sibi opponitur.

443 Ad aliam dico quod unum opponitur uni, idest unus terminus uni termino, loquendo ex oppositione extremorum et de eodem genere oppositionis. Tamen bene possibile est quod unum opponitur pluribus, ⟨loquendo⟩ de oppositione medii ad extrema. Sic enim ille terminus ‘libertas’ opponitur illi termino ‘illibertas’, et isti termino ‘prodigalitas’. Sic enim fusco opponitur album et nigrum. Possibile est etiam quod unus terminus opponatur pluribus in diversis generibus oppositionum. Verbi gratia, *album* contrarie opponitur *nigro*, et contradictorie *non-albo*. Sic dico in proposito quod ille terminus ‘unum’ non est privative pluribus oppositum nisi isti termino ‘multa’.

444 Ad aliam, quando dicitur quod ille terminus ‘multa’ opponitur huic termino ‘pauca’, dico ⟨quod⟩ verum | est. Sed in alio genere oppositionis potest opponi isti termino ‘unum’. Et cum hoc diversimode capitur iste terminus ‘multa’. Uno modo absolute, et sic opponitur ‘uni’; alio modo relative, et sic opponitur ‘paucis’. Et hoc dicetur in decimo. E24rb

445 Ad aliam concedo quod isti termini ‘ens’ et ‘unum’ et ‘multa’ non opponuntur proprie, nisi forte quantum ad modos gramaticales. Sed propter hoc non sequitur quod unum esse non opponitur multis, quia ille terminus ‘unum’ de suo formali significato connotat indivisionem. Propter quam connotationem opponitur huic termino ‘multa’.

446 Ad aliam concedo quod unum et multa opponuntur privative. Et dico quod hoc nomen ‘unum’ est privativum. Etiam quando dicitur quod omnis privatio connotat carentiam et per consequens diminutionem, nego quod connotat diminutionem, quoniam aliqui sunt termini significantes aut connotantes dispositionem non possibilem stare cum sua perfectione. Et tunc oportet quod carentia huiusmodi dispositionis sit diminutio. Verbi gratia, isti termini ‘generabile’ et ‘corruptibile’ important dispositiones que non semper possunt stare in summa perfectio⟨ne⟩. Et ideo quamvis isti termini sunt privativi, scilicet ‘ingenerabile’ et ‘incorruptibile’, tamen nullam diminutionem significant in eo cui attribuuntur. Modo etiam sunt ⟨oppositi, quia⟩ perfectioni non potest convenire diminutio. Et ideo unum quod sumitur a carentia divisionis, nullam diminutionem significat in eo cui attribuitur.

447 Ad aliam, quando dicitur unum est privativum numeri, dico quod verum est in cognoscendo, quia per unitatem cognoscimus et mensuratur numerus quem tu scis. Et ita ego concedo quod hoc nomen ‘unum’ est prius secundum cognitionem hoc nomine ‘numerus’. Ideo non opponitur privative huic termino ‘unus’, sed huic termino ‘multa’.

12 oppositum] oppositis *E*

Nec est credendum quod prius cognoscatur unum quam multa. Nota quod admittendum non est prius ratio unius quam ratio multorum, cum rationi unius precedat ratio[ni] numeri.

448 Nota quod si vides unum lapidem, tu evidentius potes considerare indivisibilem multitudinem inter partes illius lapidis quam tu posses iudicare quod sit unus lapis. Forte enim tenet ⟨te circa⟩ lapidem quod continue apparet tibi unus sed non est unus sed plures. Tamen non potes scire numerum, scilicet quot sint ibi lapides, utrum tres vel quatuor, nec quotlibet cognoscis esse unum. Ideo ratio numeri addit super rationem multitudinis, scilicet mensura⟨m⟩. | Et ideo quando E24va dicebatur quod privatio non est prior nec notior, concedo, scilicet habitu cui opponitur. Ideo concedo quod unum non est prius nec notius multis, licet sit apud intellectum prius et notius uno.

QUESTIO 14A: *UTRUM CIRCA PRIMUM PRINCIPIUM CONTINGIT ERRARE*

449 Utrum circa primum principium contingit errare. Arguitur primo quod sic. Negare ipsum est circa ipsum errare. Et tamen aliqui negant, ut dicit[1] Aristotiles. Igitur.

450 Item. Aristotiles reprehendit[2] antiquos circa primum principium. Igitur vel ipsi erraverunt circa primum principium, vel Aristotiles errat in reprehendo eos.

451 Item. De ipso primo principio possunt formari multe questiones dubitabiles. Et circa dubitabilia contingit errare. Igitur.

452 Item. Circa omnia sensibilia potest sensus errare. Sic similiter etiam ⟨circa⟩ omnia intelligibilia intellectus potest errare, et per consequens circa primum principium potest intellectus errare. Antecedens manifestum est quia: Circa colores errat aliquando visus vel propter indispositionem organi, vel propter nimiam remotionem obiecti aut aliquo modo tali; et proportionaliter posset auditus errare circa sonos; et sic de aliis sensibus et de obiectis eorum. Ideo patet quod circa omnia sensibilia sensus potest errare. Et consequentia principalis probatur. Primo quia: sicut se habet sensus ad sensibilia, ita intellectus ad intelligibilia. Et etiam quia dicit Aristotiles[3] octavo *Phisicorum* quod inconveniens est querere rationem ubi habemus ⟨aliquid⟩ dignius ratione (et per illud dignius intendit sensum). Et sic ipse vult quod

1 *Metaph.* IV 4, 1035b35 sqq.
2 *Ibid.*
3 *an* AVERROES?

sensus est dignior intellectu, scilicet quantum ad certitudinem iudicii. Ideo bene sequitur si sensus potest errare circa sensibilia, quod etiam intellectus poterit errare circa intelligibilia.

453 Item. ⟨Circa⟩ primum principium potest aliquis credere quod est falsum. Igitur potest circa ipsum errare. Consequentia videtur nota. Antecedens faciliter probatur quia: Orationem in hoc libro scriptam tu posses dubitare et credere esse falsam, quia forte tu crederes quod ipsa esset oppositum primi principii, et tamen de facto ipsamet esset primum principium. Igitur primum principium tu posses credere falsum. Vel etiam posses credere quod propositio quam ego habeo in mente, esset primum principium. Et tunc apparet quod tu crederes primum principium esse falsum.

454 Item. Argumento apparenti tu posses credere primum principium non esse ⟨verum⟩. Ergo errares circa ipsum. Probo antecedens quia: Si primum principium numquam est, ipsum numquam est verum. Et tamen primum principium non est, quia quando eius subiectum ⟨non⟩ est, tunc non est predicatum adhuc; et tamen sine predicato non est principium primum. Similiter ipsum non est quando predicatum | est, E24vb quia tunc non amplius est subiectum, et sine subiecto non est primum principium. Igitur ipsum amplius non est. Et per consequens numquam est verum.

455 Item. Multis apparet quod Deus posset facere duo contraria simul esse in eodem subiecto, ut albedinem et nigredinem ⟨in⟩ pariete. Igitur ipse posset facere opiniones contradictorias esse simul in intellectu tuo, cum ille sint contrarie. Et ita tu assentires opposito primi principii. Et hoc esset errare circa primum principium.

456 Item. Expertus sum quod ab una vetula petitur utrum ipsa crederet quod aliquis homo posset simul currere et non currere. Statim respondetur quod non. Et tunc replicato "Nonne potest Deus hoc facere?", respondit "Nescio". Etiam dubitabatur de primo principio.

457 OPPOSITUM dicit Aristotiles.

SOLVITUR QUESTIO

458 Notandum quod errare potest esse dupliciter. Uno modo ore negare primum principium posset dici errare circa ipsum. Et sic errare ⟨circa⟩ ipsum esset possibile, ut est de se manifestum. Possem enim proferre 'Ego nescio primum principium'. Alio modo errare est mente affirmare me assentire falso vel mente dissentire vero. Et adhuc posset intelligi dupliciter modus errandi circa primum principium. Uno modo quod assentiremus propositionibus quarum termini supponerent pro

primo principio; et isto modo adhuc dico quod possibile est circa ipsum errare, quia (sicut prius dicebatur) de ipso possunt formari multe questiones dubitabiles, et de quibus sunt diverse opiniones, sicut est ista questio 'Quid est primum principium complexum?'. Et sic apparet quod de facto aliqui errant circa primum principium, quia si diversi habeant opiniones contrarias, oportet unum errare. Alio modo [aliquis] potest intelligi quod aliquis erret circa primum principium quia mente dissentit, et assentit eius opposito. Et sic dico cum Aristotile quod impossibile est circa primum principium errare. Et videtur quod ⟨quilibet⟩ hoc experitur in se. Nullus enim posset firmiter credere quod aliquid simul esset et non esset, vel quod ipsum esset album et tamen ipsum non esset album. Et impossibile est demonstrare quod ita sit, quia ad demonstrandum non possit sumi aliquid evidentius.

459 Tamen Aristotiles bene demonstrat propter quid ita est. Hoc enim est propter hoc quod opiniones contradictoriarum sunt contrarie; et contraria non possunt simul esse in eodem intellectu subiecto. Et tamen oportet eas esse simul in isto intellectu qui dissentiret primo principio et assentiret eius opposito, eoquod primum principium fundatur in contradictione. | Igitur sic est impossibile errare circa primum principium. E25ra

Contra istam rationem obicitur

460 Sed contra istam rationem potest obici quia: Magis videtur quod opinio contrariarum debeat esse contraria quam opinio contradictoriarum. Modo unum est uni tantum contrarium. Et si capio universalem affirmativam, opinio ipsius non erit contraria opinioni particularis negative, quia est contraria opinioni universalis negative. Igitur manifeste supponit Aristotiles quod opiniones contradictoriarum sunt contrarie.

461 Item. Non videntur magis repugnare opiniones contradictoriarum adinvicem quam propositiones contradictorie. Et tamen aliquis posset in mente habere contradictorias propositiones; aliter non posset formare primum principium. Igitur potest simul habere opinionem contradictoriarum.

Ad rationes in contrarium

462 Ad primam videtur michi esse dicendum quod opiniones contrariarum sunt verius contrarie ad extremum quam opiniones contradictoriarum. Unde si dico quod omnis homo currit, tu magis extreme repugnas

15 opiniones] ego(!) *E*

michi si dices quod nullus homo currit quam si dicas 'Quidam homo ⟨non⟩ currit', quia dicendo 'Nullus homo currit' tu repugnas michi pro omnibus subiectis sumptis sub isto termino 'homo' distributo, sed si dicas 'Quidam homo non currit', tu repugnas michi solum pro aliquo subiecto, vel forte pro uno solo. Tamen opiniones contradictoriarum sunt similiter repugnantes et quodammodo contrarie, quamvis non ad extremum, unde medium repugnat extremo, et non solum extremum extremo. Ideo opiniones contradictoriarum finaliter sunt contrarie ad hoc quod non possunt simul existere.

463 Ad aliam dicendum est quod propositiones que vocantur contradictorie, non sunt contrarie vel repugnantes in essendo simul, sed in essendo simul veras. Possunt enim simul esse et in eodem subiecto, sed non possunt esse simul vere. Opinio enim ultra propositionem addit assensum. Quidquid enim opinamur, istis assentimus. Et isti assensus sic superadditi sunt contrarii et repugnantes non solum in essendo veros, ymo similiter in essendo simul in eodem subiecto, sicut essent albedo et nigredo. Ideo opiniones contrariarum multo magis sunt contrarie quam propositiones que dicuntur contrarie.

Ad rationes in oppositum

464 Ad rationes in oppositum. Prima et secunda bene concederentur quod omne bene contingit negare primum principium. Et sic antiqui ipsum negaverunt. Tertia ratio bene probat ⟨quod⟩ contingit errare circa multas propositiones formatas de primo principio, ita scilicet quod earum termini supponunt pro primo principio.

465 Ad aliam concedo quod sensus potest errare | circa sensibilia quantum ad aliquas complexiones, ut quia credidit esse rubeum id quod est album; sic etiam intellectus inter multa intelligibilia potest errare. Tamen alique fiunt complexiones circa sensum vel in sensu quibus sensus potest dissentire et alie quibus sensus non potest assentire, unde per sensum non posset ⟨aliquis⟩ iudicare quod hoc esset album et quod hoc non esset album, quamvis de eo quod est album posset iudicare quod non est album. Et ita neque sensus neque intellectus potest errare circa primum principium. E25rb

466 Ad aliam concedo quod primum principium potest credi esse falsum, sicut asinum tu posses credere esse hominem quamvis tu numquam diceres asinum esse hominem. Si enim asinus esset de longe, forte videretur hominem esse. Et tunc per sillogismum expositorium

10–11 contradictorie] vel contrarie *add. E*

hoc quod tu vides, credis esse asinum
et hoc est asinus
igitur asinum credis esse hominem

(et est propositio divisa), tamen numquam credis asinum esse hominem. Ita in proposito primum principium tu credis bene esse falsum. Sed ulterius dico quod tu posses decipi circa primum principium a me prolatum, quia forte non bene intelligeres. Sed illud quod est dictum sic oportet intelligi quod nullus formans in mente sua primum principium potest ei dissentire vel eius opposito assentire.

467 Ad aliam dico quod primum principium mentale est simul in mente secundum se totum, scilicet predicatum cum subiecto. Ideo ratio non valebat de illo primo principio. Sed ratio habebat apparentiam de primo principio vocali, scilicet quomodo propositio vocalis sit vera. Et breviter respondeo quod nec ipsa est nec est vera in permanentia, sed solum in successione, sicut esset de motu. Unde concedo quod ipsa nec est nec est vera in illo tempore precise in quo eius subiectum est, nec etiam in tempore in quo predicatum est precise, sed ipsa est et est vera in totali tempore aggregato ex tempore subiecti et ex tempore predicati, non tamen in illo et in quolibet sui, sed in illo toto.

468 Ad aliam dico breviter quod ego nescio utrum Deus posset contraria facere in eodem. Et dato quod posset, adhuc ego nescio utrum possit in tempore eodem ⟨facere⟩ opiniones contradictoriarum simul, quia si hoc faceret, ipse nos deciperet. Et forte repugnat sue bonitati quod ipse aliquo modo decipiat. Si tamen concederemus quod debeat facere, tunc ego dicerem quod numquam naturaliter posset aliquis assentire | opposito primi principii, licet posset ei assentire supernatu- E25va
raliter per potentiam divinam.

469 Ad ultimam potest dici quod intantum differt ista propositio 'Sor simul currit et non currit' et ista 'Sor currit et Sor non currit', quia numquam vetula primam propositionem credidit. Tamen de secunda propositione dubitavit. Et ista non est primum principium nec formaliter contenta sub primo principio, quamvis formaliter contineat primum principium, quoniam impossibile est assentire pluribus propositionibus implicantibus contradictionem. Sed ambabus contradictoriis explicite et evidenter propositis numquam sic assentimus. Sequitur alia questio.

QUESTIO 15A: *UTRUM CONTRADICTIO SIT MAXIMA OPPOSITIO*

Arguitur quod non

470 Utrum contradictio sit maxima oppositio. Arguitur quod non quia: Contradictio est simplicissima oppositio. Sed illud quod est simplicissimum, non est maximum, ymo potius minimum. Et contradictio est prima oppositio, et primum in quolibet genere debet esse mensura aliorum, et mensura debet esse minima, ut patebit in duodecimo. Igitur contradictio est minima oppositio.

471 Item. Ista oppositio est maior que est distantior et repugnantior. Modo contradictio non est constantior nec est repugnantior et ymo magis contrarietas. Probo primo de distantia quia: Contradictionis non est medium, et contrarietatis est medium. Modo distantia non est nisi per medium faciens distare. Et ideo contrarietas est distantior, ymo (sicut dicetur in decimo) contrariorum est maxima distantia, quia contraria sunt que maxime as se distant, unde contrarietas proprie non est nisi inter extrema. Contradictio autem fundatur inter extremum et medium, unde album et rubeum sunt album et non-album. Igitur apparet quod contrarietas est distantior.

472 Similiter declaro quod contrarietas sit repugnantior et albedo et nigredo magis repugnant adinvicem quam quicumque termini, unde propter repugnantiam albedo et nigredo non possunt esse in eodem subiecto, sed quicumque duo termini vel due propositiones possunt simul esse in ⟨eodem⟩ intellectu. Modo albedo et nigredo sunt contrarie. Et contradictio non est nisi inter terminos et propositiones. Ideo manifestum est quod contraria magis repugnant quam contradictio. Et hoc etiam patet de contrarietate secundum modum enuntiandi, quia: Si tu dicis quod nullus homo currit, ego magis opponam cum dico 'Omnis homo currit' quam affirmando solum de uno, unde contrarietas est repugnans secundum omnia ⟨sua⟩ supposita. Et ad contradictionem | sufficit repugnantia pro uno. Igitur contrarietatis est maior repugnantia et per consequens maior oppositio. E25^{vb}

473 Item. Maxima oppositio debet esse evidentissima. Sed contrarietas est evidentior quam contradictio. Igitur. Probo minorem quia: Si tu vides aliquod valde album, adhuc tu dubitas utrum sit albissimum vel non albissimum, quamvis ista contradicant. Sed non est dubitale de albo et nigro utrum sit album vel nigrum, ymo statim dices quod est album si sit album, vel quod est nigrum si est nigrum. Igitur contrarietas est evidentior.

474 Item. Contradictio invenitur ubi nulla est magnitudo inter terminos invicem. Modo illud non est maximum in quo nulla magnitudo est.

Arguitur quod sic

475 OPPOSITUM arguitur quia: Primo in quolibet genere convenit maxime ratio illius generis. Modo contradictio est prima in genere oppositionum. Igitur sibi maxime convenit ratio oppositionis ad hoc ⟨quod⟩ est esse maximam oppositionem.

476 Item. Sicut dicebatur, ista oppositio est maior que est distantior et repugnantior. Contradictio est huiusmodi. Igitur. Minor probatur. Primo de distantia quia: Solet dici quod non entis ad ens est infinita distantia. Et tamen non-entis ad ens est contradictio. Declaro idem de repugnantia quia: Contradictio repugnat et secundum verum et secundum falsum, quia ⟨contradictoria⟩ nec possunt esse simul vera nec simul falsa, contraria autem non repugnant nisi secundum verum, quia possunt simul esse falsa. Igitur contradictio magis repugnat.

477 Item. Sicut dicetur, maxima oppositio debet esse evidentissima. Modo contradictio est oppositio evidentior; aliter primum principium non deberet fundari in contradictione, cum primum principium debeat esse evidentissimum. Igitur contradictio est maxima oppositio.

478 Nota quod contradictio non est oppositio nisi inter terminos vel propositiones. Modo in terminis vel in propositionibus, specialiter mentalibus, non est magnitudo, cum ibi non sit extensio. Et ideo, si proprie loqueretur de magnitudine, contradictio non esset magna oppositio nec parva. Etergo hic oportet accipere 'magnitudinem' improprie pro excellentia in aliquibus proprietatibus que debent oppositionibus. Idcirco de huiusmodi excellentiis respondebitur adpresens.

SOLVITUR QUESTIO

De quibusdam conclusionibus

Quod contradictio est communissima oppositio

479 Etiam de hoc pono conclusiones. Prima est quod contradictio est communissima oppositio. Quod patet primo, quia potest fundari in omnibus terminis; secundo etiam quia oportet quod terminorum contradictoriorum pro omni ente mundi alter eorum significat. Verbi gratia, omne ens de mundo est homo vel non-|homo, chymera est vel E26ra
non- chymera. Sic autem non est de terminis contrariis. Ideo sic est

manifestum quod contradictio sit communior oppositio. Et etiam est communior quantum ad modos repugnandi, quia propositiones contradictorie repugnant tam secundum verum quam secundum falsum (ut dicebatur prius) et contrarie non repugnant secundum falsum. Sic igitur manifestum est quod contradictio est communissima oppositio.

Quod contradictio est simplicissima oppositio

480 Secundo dico quod contradictio est simplicissima oppositio, quia loquendo de oppositione terminorum contradictio fundatur in unico termino cum additione huius synkathegorematis 'non', ut 'homo', 'non-homo'; contrarietas vero est duorum terminorum, ut 'album' ad 'nigrum'. Et negatio faciens contradictionem requirit subiectum, negatio autem carens privatione requirit abstractum. Igitur contradictio est simplicior quam privativa oppositio. Etiam iam est dictum quod contradictio est communior. Et communiora sunt simpliciora quam specialiora. Genus enim est specialius quam species; quod apparet, quia diffinitione resolvitur in genus et differentiam. Igitur contradictio est simplicior.

Quod contradictio est prima oppositio

481 Tertia conclusio ⟨est⟩ quod contradictio debet dici prima oppositio. Quod patet quia communior, et communiora sunt priora, ⟨igitur⟩. Et quia etiam est simplicior, et simplex est prius composito, igitur. Et quia etiam alie oppositiones semper in se implicant contradictionem, et non oportet ita esse econverso. Verbi gratia, album et nigrum sunt album et non-album, cecum et videns sunt videns et non videns. Modo quod implicat alterum et non econverso, est aliquo modo compositius et posterius. Igitur contradictio est prima oppositio.

Quod contradictio non est repugnantissima

482 Quarta conclusio ⟨est⟩ quod contradictio non est repugnantissima in veritate sive quantum ad veritatem, ymo contrarietas, quia contrarietas est repugnans pro quolibet supposito, non autem contradictio. Hoc etiam in arguendo fuit satis probatum. Contrarie repugnant extreme. Et aliqua contraria, scilicet realia repugnant in essendo simul, contradictoria autem non, sed solum in essendo verum vel falsum. Et ideo capiendo dictam ⟨repugnantiam⟩ pro repugnantia quantum ad veritatem, apparet quod contraria maxime distant, et non contradictoria, ymo inter contradictoria non est distantia, neque proprie meque me-

thaphorice, cum non sit medium contradictionis. Modo que immediata sunt adinvicem, nichil distant.

Quod contradictio est evidentissima oppositio

483 Sed de evidentia videtur difficilius, unde contrarietas aliquando attenditur secundum contrarietatem terminorum (ut si dico 'Sor est albus', 'Sor est niger'), et aliquando attenditur penes contrarios | modos enuntiandi (ut 'Nullus homo currit', 'Omnis homo currit'). Modo si attendebatur contrarietas penes contrarietatem terminorum, tunc evidentius est quod una contradictoria sit vera quam quod una contrariarum sit vera, quia non est evidens quod aliqua illarum sit vera 'Homo est albus', 'Homo est niger', quia potest esse rubeus, sed tibi est evidens quod Sor est albus vel quod Sor non est albus. Et similiter dicerem quod evidentius est quod una contradictoriarum sit falsa quam quod una contrariarum sit falsa, quoniam aliqui opinantur quod Deus possit facere contraria simul in eodem subiecto, et utrumque secundum gradum perfectum. Ideo potest dubitari utrum aliqua illarum sit falsa 'Sor est albus', 'Sor est niger'. Sed de contradictoriis nulla est occasio dubitandi quin semper altera sit falsa, quia Deus non posset facere quod ambe contradictorie essent simul vere. Et per illum modum concedendum est quod contradictio est evidentissima oppositio. E26rb

Quod uno modo contrarietas sit evidentior, alio modo contradictio

484 Quinta conclusio poniur quod de contrariis est aliquando evidentius que illarum sit vera quam de contradictoriis. Quod ⟨sic probatur⟩. Ponamus quod una illarum sit vera 'Ille paries est albus', ⟨'Ille paries est niger'⟩. Statim quando videbis parietem, statim videbis evidenter que istarum sit vera. Sed [si] dicto 'Paries est albissimus', 'Paries non est albissimus', quando tu vides parietem, adhuc dubitas, vel etiam scire non poteris que illarum est vera et que falsa. Et secundum illum modum posset concedi quod contrariarum esset positio evidentior. Nec est inconveniens quod secundum aliquem modum ⟨evidentie⟩ contrarieta[ti]s sit evidentior, et secundum alium modum contradictio. Et manifestum est quod primum principium fundatur super hanc scilicet contradictionem eo modo quo ipsa est evidentior, quia fundatur super hoc quod oportet unam partem esse veram et aliam falsam, non determinando que est vera vel que falsa.

Et secundum ista dicta videtur quod rationes procedunt.

QUESTIO 16A: *UTRUM ISTA PROPOSITIO SIT PRIMUM PRINCIPIUM COMPLEXUM, SCILICET IDEM ⟨SIMUL⟩ INESSE EIDEM ET NON INESSE EIDEM EST IMPOSSIBILE*

485 Utrum ista propositio sit primum principium complexum, scilicet idem ⟨simul⟩ inesse eidem et non inesse eidem est impossibile. Arguitur quod non quia: Ista propositio formata est in terminis equivocis, scilicet in multiplicibus, et per consequens ⟨est⟩ ambigua et non certa. Et primum principium debet esse certum. Ergo ipsa non est primum principium.

486 Item. Termini absoluti sunt priores et notiores terminis relativis; igitur primum principium cum debeat esse notissimum, | non debet E26va formari in terminis relativis. Sed in ista propositione ponuntur termini relativi, scilicet 'idem' et 'eidem'. Ergo hoc non est primum principium.

487 Item. In ista propositione docet[1] Aristotiles apponere plures conditiones, scilicet *simul* et *secundum idem*, et sic de aliis circumstantiis requisitis ad contradictionem. Et tamen Aristotiles dicit[2] quod primum principium non debet esse conditionale. Ergo propositio sic conditionata non debet esse primum principium.

488 Item. Logici ponunt aliud primum principium, scilicet 'De quolibet affirmatio vel negatio et de nullo simul'. Igitur propositio de qua querimus, non debet poni 'secundum' primum principium, cum non debeant poni plura ⟨prima⟩ principia.

489 Item. Kathegoricum est prius et simplicius quam ypoteticum. Et primum principium est ypoteticum, vel saltem de subiecto ypotetico, cum imponatur hec coniunctio 'et'. Ergo hoc non est primum principium.

490 Item. Affirmativum est prius negativo. Et in hac propositione ponitur negatio implicita in hoc nomine 'impossibile'. Igitur ipsa non est primum principium.

491 Item. Propositiones de inesse sunt simpliciores et priores propositionibus modalibus. Sed hec propositio est modalis. Ergo non est primum principium.

492 Item. Propositiones de inesse sunt posteriores et minus universales quam ille de esse. Verbi gratia, ista est simplicior et notior 'Homo est

1 *Metaph.* IV 3, 1005b19–22.
2 *Metaph.* IV 3, 1005b12–14.

animal' quam ista 'Animal inest homini'. Sed ista propositio formata est de inesse. Igitur ipsa non est prima sive primum principium.

493 Item. Propositio de 'est' secundo adiacente est prior et simplicior quam propositio de 'est' tertio adiacente, ut 'Homo est' est prior quam 'Homo est animal'. Sed ⟨ista⟩ propositio formata est de 'est' tertio adiacente. Igitur ipsa non est primum principium.

494 OPPOSITUM arguitur auctoritate Aristotilis.

Respondetur diversimode ad questionem

De primitate secundum simplicitatem

495 Multi propter rationes factas, attendentes magis ad simplicitatem quam ⟨ad⟩ simplicitatem et evidentiam, ordinant prima principia tali modo quia kathegoricas propositiones preponunt ypoteticis, et illas de inesse modalibus, et illas de hoc verbo 'est' secundo adiacente istis de tertio adiacente, et illas de 'est' illis de hoc verbo 'inest', et affirmativas negativis. Et secundum hoc habemus ordinem multorum principiorum. Quorum omnium primum erit ista propositio 'Ens est'; secundum erit 'Non-ens non est', tertium erit 'Ens est ens'. Et postea sequuntur propositiones ypotetice, scilicet 'Quodlibet est, vel non est'; deinde 'nichil est vel non est'. Postea 'Quodlibet est ens, vel non est ens'; deinde 'Nichil idem est ens et non-ens'. Postea sequuntur propositiones | modales, scilicet 'Quodlibet potest esse, vel non esse'; E26vb similiter 'Quodlibet necesse est esse, vel non ⟨esse⟩'; 'Impossibile est simul esse idem et non esse'. Ymo adhuc istas tres ipsi ponunt aliis priores, scilicet 'Possibile est ens esse' et 'Necesse est ens esse' et 'Impossibile est ens non esse, vel non-ens esse'. Et eodem modo de 'est' tertio adiacente. Et post omnes istas ipsi ordinant illas de inesse, scilicet quod 'Quodlibet cuilibet necesse est inesse, vel non inesse'; et ultimo 'Impossibile est idem eidem simul inesse et non inesse'. Et illud ultimum principium est id quod Aristotiles expressit, et quod dixi esse primum principium.

Dubitatur

496 Et tunc est dubitatio circa ultimum istorum principiorum ⟨quod⟩ ipse expressit tamquam primum. Ad hoc respondetur altero duorum modorum. Primus modus est quod omnia ista principia possunt dici prima per carentiam prioris principii per quod possit demonstrari. Hec enim

19 nichil] *bis in E* 32 circa] contra *E*

omnia sunt indemonstrabilia, licet habeant ordinem inter se secundum prioritatem simpliciter. Et ipse expressit ultimum istorum ut per hoc innueret quod omnia precedentia debent esse, et poni etiam plura principia, quoniam si ultimum eorum est primum et indemonstrabile, nullo modo magis erit hoc quam de prioribus. Sed si expressisset primum istorum, non ita secutum fuisset quod alia posteriora debet ponere prima et indemonstrabilia.

497 Alia causa potuit esse quia quamvis omnia predicta ⟨principia⟩ sint prima et indemonstrabilia, tamen multa eorum parum valent ad demonstrandum conclusiones demonstrabiles, unde raro vel numquam ad demonstrandum utimur istis propositionibus 'Ens est' vel 'Ens est ens' vel 'Non ens non est', et sic de multis talibus. Sed ad principium quod Aristotiles expressit, inter cetera plus prodest et plus eo utimur ad demonstrationes conclusionum demonstrabilium. Ideo merito illud principium magis expressit quod Aristotiles ⟨intendit⟩ quam alia precedentia. Ymo alia quasi non merentur dici priora, quamvis sint propositiones indemonstrabiles, quia principium dicitur respectu principiati et idem non meretur in demonstratis dici principium nisi per quod principiata, idest conclusiones demonstrabiles, demonstrantur.

Solvitur questio secundum simplicitatem et evidentiam

498 Et si ista positio tenetur, vos | videtis quod omnes rationes erunt solute, E27ra
quia procedunt viis suis. Tamen credo quod Aristotiles non sic attendebat solum ad simplicitatem sed magis attendebat ad simplicitatem et evidentiam. Et credo quod, attendendo ad evidentiam, principia non debent ordinari modo predicto, ymo vel de alio ordine. De quo ordine dico quod predicta principia deberet antecedere illud principium logicum 'De quolibet affirmatio, vel negatio et de nullo simul'. Tamen quia secundum rei veritatem illud non est verum principium, quia non est propositio nisi ⟨suppletur⟩ quod indigeat expositione et supplemento, scilicet quod de quolibet termino kathegorico potest quilibet terminus kathegoricus vere affirmari, vel vere negari. Et sic tunc illud principium sic expositum est multo posterius predictis principiis, quia predicta principia formantur ex terminis primarum intentionum, ubi non indiget intellectus reflecti super suas propositiones, illud autem principium logicum est formatum ex terminis secundarum intentionum, ubi intellectus indiget reflexione. Et ideo non est ita manifestum sicut alia principia.

23 attendebat] intendebat *E*

De principio ypotetico

499 Sed postea de ordinatione principiorum dictorum quantum ad simplicitatem et evidentiam ego credo quod principium ypoteticum est firmius et evidentius quam principium kathegoricum. Verbi gratia, ista propositio est firmior 'Quodlibet est, vel non est' quam ista 'Ens est'. Quod sic patet quia: Nullus concederet quod possibile sit aliquid nec esse nec non esse. Sed aliqui potuerunt concedere oppositum secunde esse possibile. Quod potuerunt opinari quod possibile est nichil esse. Aliqui enim opinabantur omnia esse corruptibilia et quod esset possibile aliquando esse corrupta, et per consequens nichil esset. Alii crediderunt etiam omnia esse incorruptibilia mutatione et successione, sicut est de tempore. Et tamen aliqui dixerunt tempus non esse, eoquod una pars est preterita et alia futura, et sic una preteriit et alia nondum venit. Igitur sic possunt aliqui ymaginari de omnibus entibus. Et ita deberet nichil esse.

500 Etergo vos videtis quod facilius est ymaginari oppositam istius kathegorice esse possibilem quam oppositam illius ypotetice. Et tunc ista ypotetica habet evidentiam gratia forme, unde ita est in omnibus terminis et evidens est in aliis. Verbi gratia, 'Homo est, vel homo non est', 'Chymera est, vel chymera non est', 'Vacuum | est, vel vacuum non est'. Sed kathegorica non habet evidentiam gratia forme, quia in tali forma multe essent false, sclicet 'Chymera est', 'Vacuum est', et sic de multis aliis. Et tunc kathegorica ad sui veritatem exigit suppositionem, scilicet quod subiectum pro aliquo supponat. Et ista ypotetica nullam talem suppositionem exigit. Modo principium firmissimum debet esse concessum absque suppositione, ut vult[1] Aristotiles. Ergo manifestum est quod attendentes ad evidentiam et ad firmitatem primi principii magis ⟨debet⟩ poni ypoteticum quam kathegoricum. E27rb

De principio negativo

501 Dico ergo ultra prius dicta quod negativa videtur michi firmior quam affirmativa. Verbi gratia, ista propositio 'Nullum ens est non-ens' vel 'Nullum non-ens est ens' est firmior quam ista 'Ens est ens'. Et non dico quod negativa est firmior ex parte rei, quia omnino firmissima et certissima ex parte rei est ⟨affirmativa⟩ quod ens est ens, quia propter ipsum Deum eternaliter ens fuit ens et erit ens. Sed negativa est firmior, idest firmius credita apud intellectum, ita quod intellectus minus posset

1 *Metaph.* IV 3, 1005b12–14.

capere oppositum negative quam oppositum affirmative, sive de facto sive de possibili.

502 Ista conclusio probatur quia: Negative non solum habent firmitatem gratia materie, sed etiam gratia forme in omnibus terminis. Et sic non est de affirmativa, unde hec est vera 'Nullus homo est non-homo'; et ista similiter 'Nulla chymera est non-chymera' et 'Nullum vacuum est non-vacuum'. Sed ista non est vera 'Omnis chymera est chymera' vel 'Omne vacuum est vacuum'. Igitur negativa videtur esse firmior, cum habeat firmitatem gratia forme.

503 Item. Affirmativa ad sui veritatem indiget suppositione, scilicet quod subiectum pro aliquo supponat; negativa hoc non indiget. Modo firmior videtur que ad sui veritatem non indiget tali suppositione, et hoc ceteris paribus.

504 Item. Propter mutationem entium situs ponebat[1] Eraclitus ⟨quod⟩ possibile esset ymaginari quod omnia entia essent in continuo fluxu, sicut poneremus esse tempus; et tunc posset ymaginari de omnibus entibus sicut ymaginamur de tempore. Modo aliqui ymaginati sunt quod numquam potest esse sicut prius; et sic isti communiter possunt ymaginari quod nullum ens esset. Et sic ymaginarentur oppositum negative, quia non ymaginarentur quod ens esset non ens.

505 Item. Ymaginantes quod omnia aliquando fuerunt facta, quod omnia sunt corporalia et aliquando | corrumpuntur, ymaginatur quod ali- E27va
quando nichil erat et aliquando nichil erit. Ad quod sequitur quod hec esset possibilis 'Nullum ens est ens', que est opposita affirmative. Sed non per hoc ymaginaretur quod opposita negative esset impossibilis, scilicet 'Ens est non-ens'. Unde secundum illam ymaginationem quod omnia fuerunt facta, ymaginarentur quod aliquando ens fuit ens vel aliquando erit ens, scilicet antequam entia fuerunt facta. Et tamen propter nullum casum possibilem est ymaginandum quod aliquando ⟨ens⟩ erat ens et non-ens.

De quibusdam comparationibus

506 Alia conclusio ⟨est⟩ de comparatione huius verbi 'est' ad hoc verbum 'inest'. Et ad hoc ego dico quod principium de 'est' est firmius et evidentius quam de 'inest', quia quamvis sit certum quod homo est animal, tamen non est ita certum quod animal inest homini, quoniam propositio falsa est, si intelligit⟨ur⟩ de reali inherentia. Si autem 'inesse' capiatur pro vera predicatione, sicut sepe capiunt philosophi quando

1 Apud Arist., *Metaph.* IV 5, 1010a13–15.

dicunt predicatum inesse subiecto, tunc ista 'Animal inest homini' valet istam precise quod «Iste terminus 'animal' vere affirmatur de illo termino 'homo'». Et constat quod ista propositio est valde abstractior et posterior quam ista propositio 'Homo est animal'. Unde tu scis bene quod homo est animal, licet tamen non scias quod ille terminus 'animal' vere affirmatur de illo termino 'homo'; licet tamen bene scias quod potest bene affirmari, quia non vere affirmatur nisi propositio sit formata.

507 Item. Tu bene scis quod semper ens est ens. Et tamen nescis quod semper ens inest enti, quia tunc ⟨si⟩ esset Deus solus, nullum ens inheret enti, sive loquatur de reali inherentia sive de predicatione. Et ideo propositio de *esse* est simplicior et debet esse firmior et evidentior, si cetera sint paria.

508 Dubitatur de comparatione modalium ad illas *de inesse*, sive ad illas *de esse*. Et videtur michi quod de hoc possunt poni due conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod in kathegoricis ista *de possibili* est firmior quam *de esse*, quia, secundum quod dicebam, opinantes quod omnia aliquando fuerunt facta, opinantur quod aliquando nichil erat, et tamen ⟨non⟩ opinantur quod nichil poterat esse. Ideo facilius est opinari oppositum illius 'Aliquid est' quam oppositum illius 'Aliquid potest esse'. Ergo ista *de possibili* est firmior. Et constat quod descendendo ad specialiora tu potes opinari oppositum illius 'Rosa est', et tamen non ita faciliter potes opinari | quin rosa potest esse et revertitur cum estate. E27vb

509 Secunda conclusio est quod in ypoteticis principium *de esse* est firmius et evidentius quam principium *de possibili*. Verbi gratia, ista est evidentior 'Quodlbet est, vel non est' quam ista 'Quodlibet potest esse, vel non ⟨esse⟩', quia: Utriusque firmitas vel evidentia fundatur in evidentia contradictionis. Modo contradictio est evidentior in prima, quia in paucioribus magis et prius oportet videre repugnantiam inter esse et non esse quam assentire quod impossibile est simul esse et non ⟨esse⟩. Ergo ista *de esse* est firmior.

510 Alia comparatio est quod principium de *est secundo adiacente* videtur esse rectius quam principium de *est tertio adiacente*, quia dicitur quod Plato concessisset accidentia esse et tamen non concessisset accidentia esse entia. Etiam, ceteris paribus, simplicior debet poni evidentior. Ita est de *est secundo adiacente*. Igitur ista de ⟨*est*⟩ *secundo adiacente* est firmior et evidentior.

511 Tamen ista conclusio videtur michi dubia, quia utraque si ponatur affirmativa, supponit constantiam subiecti, et ita sunt pares in hoc supposito. Sed ista que esset de *est tertio adiacente* ubi idem predicaretur de se, esset firmiter vera gratia forme, et non ista de *est secundo adiacente*, quia est vera 'Mortuum est mortuum', 'Corruptum est corrup-

tum', 'Generandum est generandum', et ille non sunt vere 'Mortuum est' vel 'Corruptum est' vel 'Generandum est'. Nec valet de Platone, quia quamvis Plato non concederet accidentia esse entia, tamen sine dubio concederet istam 'Accidentia sunt accidentia', quia concederet istam 'Albedo est albedo' etc., ut etiam nos concedimus exercitum non esse ens, tamen concedimus exercitum esse exercitum.

512 Ultimo si comparetis particularem ad universalem, credo quod particularis sit firmior et evidentior, quia sicut habetur[1] secundo *Thopicorum*, facilius est destruere universalem quam particularem. Ideo facilius est assentire opposito universalis quam opposito particularis. Ymo breviter, nullus assentit universali quin oporteat assentire particulari, si de hoc velit considerare. Sed sepe assentimus particulari scientes universalem esse falsam. Scimus etiam quod animal est homo et scimus hanc esse falsam quos omne animal est homo.

De primo principio sicut ab Aristotile ponitur

513 Sed de ⟨primo⟩ principio Aristotilis | sicut ponitur, puto quod sit bene E28ra removendum a multis principiis remotioribus. Ponitur enim sic: "Idem simul inesse et non inesse eidem est impossibile". Et videtur quod hec sit propositio affirmativa *de impossibili* in sensu composito. Modo si sicut subiectum 'idem simul inesse et non inesse' supponat eidem significative, difficile est scire utrum pro aliquo supponat, unde difficile est scire utrum aliquid est *idem simul inesse et non inesse eidem*, quoniam si nichil est, tunc est non possibile nec impossibile. Unde credo quod hec affirmativa est falsa 'Chymera est impossibilis', licet hec sit vera 'Chymera non est possibilis'. Si vero subiectum dicti principii sumatur materialiter, tunc erit sensus quod hec propositio 'idem simul inest et non inest eidem' est impossibilis. Et tunc patet quod iam illud principium est de secundis intentionibus. Quod non est ita firmum neque ita notum sicut si esset de primis intentionibus. Ymo, quod plus est, principium illud potest esse falsum, quia quamvis dicamus quod hoc subiectum *idem simul inesse* etc. supponat pro predicta propositione, tamen illud subiectum non est ista propositio.

514 Ponamus ergo quod non sit talis propositio. Constat ⟨enim⟩ quod principium erit falsum, quia illa propositio nec est possibilis nec est impossibilis, quia ipsa non est, accipiendo 'impossibile' pro propositione

19 composito] ypotetico *E*

1 *Topica* II 2, 109b23–28.

impossibili. Unde propositio que non est, non est propositio impossibilis quando ipsa non est. Et si tu acciperes alios ⟨modos impossibilitatis. quam pro propositione impossibili, scilicet pro impossibilitate essendi, adhuc principium esset magis dubium vel magis falsum, quia nulla propositio est impossibilis, loquendo de impossibilitate essendi. Et ideo Aristotiles forte istum sensum compositum nolebat intelligere, ⟨sed⟩ sensum divisum, scilicet quod nichil idem potest inesse et non inesse eidem simul.

Ad rationes

515 Tunc ad rationes potest dici quod non multum curarem utrum illud principium esset omnino primum. Sufficiebat enim ei quod esset inter predicta firma que a nullo negari possunt mente. Et ad multas rationes de simplicitate potest dici quod non sequitur 'propositio est simplicior, ⟨ergo⟩ et evidentior vel firmior'. Etiam si alique rationes bene arguunt quod | aliqua sunt principia priora secundum simplicitatem et evidentiam, non habeo pro inconvenienti, sicut dixi. Sufficit enim quod illud sit de per se concessis et non possibilibus mente negari. Sequitur alia questio. E28rb

QUESTIO 17A: *UTRUM ALIQUOD NOMEN SIGNIFICAT INFINITA*

516 Utrum aliquod nomen significat infinita. Arguitur quod sic quia: Hoc nomen ⟨'infinitum'⟩ est significativum. Et tamen non significat nisi infinita, sicut ille terminus 'homo' non significat nisi hominem. Ergo aliquod nomen significat infinita.

517 Item. Per rationes exprimimus et intelligimus quod infinite sunt partes in continuo. Et hoc non faceremus nisi nomina istarum propositionum significarent istas partes infinitas. Ergo etc.

518 Item. Commentator tertio *De anima* dicit[1] quod intellectus intelligit infinita in propositione universali. Et hoc non posset nisi nomina istius propositionis significarent infinita. ⟨Ergo etc.⟩

519 Item. 'Homo' non solum significat homines presentes, ymo etiam preteritos et futuros; aliter non esset verum dicere quod Adam fuit homo et quod Antichristus erit homo. Et secundum Aristotilem po-

10 curarem] curam *Ec* curat *E* 11 primum] principium(!) *E*

1 Averroes, *In III Arist. De anima comm magnum*, p. 441, 37–38 ed. Stuart-Crawford.

nentem mundum eternum infiniti fuerunt homines et infiniti erunt. Igitur hoc nomen 'homo' significat infinita.

520 OPPOSITUM arguitur per Aristotilem quarto huius dicentem[1] quod si tu dicas nomen significare infinita, non erit ratio ad eum. Unde Aristotiles volens disputare contra negantes primum principium dicit supponendum esse quod nomen non significat infinita, sed vel unum tantum vel plura determinata. Et hoc etiam econverso patet quia: Non contingit intelligere infinita, ut videbatur dicere Aristotiles. Igitur nec significare.

SOLVITUR QUESTIO

521 Ista questio est satis facilis. Sed oportet supponere id quod aliqui satis absurde negant. Dicunt enim quod nomen supponens pro re extra non significat intentionem anime, sed solum istas res extra. Verbi gratia, dicunt enim quod hec dictio 'lapis' non significat nisi lapidem. Et hoc est leve dictum et contra Aristotilem, primo[2] *Peryarmenias*. Nota. Primitus dico quod litere scripte non significant immediate nisi voces. Ex hoc apparet manifeste quod ignorantes latinum ita quod ignorant | E28va pro quibus dictiones scripte supponunt, tamen, ipso manente, ⟨sciunt quod⟩ significant scripta. Et ideo faciunt legere notificantem secundum exigentiam literarum. Et hoc non possunt scire nisi protractiones in scripto significarent vel designarent eis tales voces esse.

522 Deinde etiam dico quod voces prolate significant nobis intentionem anime, quia sic[ut] dicit Aristotiles.[3] Et cum litere significent voces, sequitur quod voces significant has intentiones. Et ideo dicit expresse Aristotiles quod litere scripte sunt note, idest signa, vocum, et voces sunt note, idest significant passiones in anima, idest conceptus. Modo nichil aliud est esse signum alicuius quam significare ipsum. Ideo indubitanter debemus dicere quod voces significant conceptus nostros immediate. Et sine dubio aliter non posset dici quod dictiones sincathegorematice essent significative, quia constat quod ad extra nichil plus significatur in dicendo 'Omnis homo est animal' quam 'Homo est animal' vel 'Aliquis homo est animal'. Utrobique enim omnes homines significantur. Unde si dico sic 'Homo currit', hec dictio 'homo' non significat solum Sortem vel Platonem vel aliquem alium, sed indifferenter, quia quicumque homo currat, sive Sortes sive Plato sive

1 *Metaph*. IV 4, 1006a6–9.
2 *De interpr*. I, 16a3–8.
3 *Ibid*.

alius, tunc propositio erit vera. Et ideo ista significata non significant res extra, sed conceptus nostros et modos diversos concipiendi res extra. Postea concedendum est quod voces bene significant res extra mediantibus istis conceptibus.

523 Hoc viso, facile respondetur. Primo enim dicendum est quod voces significative non significant infinita, loquendo de significatis immediatis, hoc est dictu quod nullum nomen significat nobis intentiones infinitas sive conceptus infinitos. Nec per illud nomen fiunt michi audi⟨en⟩ti conceptus infiniti, quia impossibile est quod intellectus habeat conceptus infinitos. Ymo si dictio significet michi indifferenter plures conceptus, ego nescirem determinate quid tu velles dicere. Unde propter hoc oportet nomina equivoca distinguere. Idcirco bene dicit Aristotiles quod si aliquis dicat nomina significare infinita, idest infinitas intentiones sive infinitos conceptus, intellectus proferentis vel audientis non esset ad illum disputare, quia non esset determinatum quid ipse vellet exprimere nobis vel per conceptum | vellet notificare. E28vb

524 Sed si loquamur de significatis ultimatis pro quibus voces significative supponunt, tunc statim concedendum quod infinita significantur per nomen, quoniam omnia entia indifferentur significantur per hoc nomen 'ens', ymo etiam per hoc nomen 'continuum', quia omnia continua per ipsum significantur. Et sic esset valde de multis nominibus. Ymo etiam si mundus fuisset eternus, sicut opinabatur[1] Aristotiles, infinita significarentur per istum terminum 'homo', quia non solum homines presentes, sed preteriti et futuri, sicut arguebatur.

525 Deinde etiam potest concedi quod infiniti conceptus significantur per aliquod nomen – vel significabantur, si mundus fuisset eternus, sicut posuit Aristotiles, quia hoc posito, sequitur quod infiniti fuerunt conceptus et infiniti erunt. Et tamen indubitanter omnes conceptus presentes, preteriti et futuri significantur per hoc nomen 'conceptus' vel per hoc nomren 'ens' et per multa alia nomina. Ergo infiniti conceptus per aliquod nomen significarentur. Et hoc ideo repugnat prime conclusioni, quia isti infiniti conceptus significantur per dicta nomina, non immediate sed tamquam ultimata significata pro quibus ista nomina supponerent. Unde dico quod hoc nomen 'conceptus' in anima proferentis non habet infinitos conceptus correspondentes, sed solum unum quem proferens vult sibi designare. Et quod illud nomen immediate significat, et etiam in animo audientis generat unum conceptum

8 nec] ut *E*

1 *Physica*, III 4, 203b15 sqq. et passim.

et non infinitos. Unde sic debet intelligi quod nomen significat unum tantum, si non sit equivocum. Sed si sit equivocum, adhuc non significat infinitos conceptus, ymo possibiles distingui.

De ordine terminorum in propositione

526 Item. Nota quod in alio casu ista questio reduplicanda est aliter tractanda. Multi enim ponerent quod ista est concedenda 'Infinite partes sunt in continuo', et tamen hec est neganda 'In continuo sunt infinite partes'. Et multi alii concedunt ambas. Et sic etiam primi dicunt quod infinita sunt entia, et tamen nulla entia sunt infinita. Et alii etiam concedunt quod infinita sunt ⟨entia⟩ et quod entia sunt infinita. Et tunc proportionaliter ponendum est de aliis significatis. Unde primi dicunt quod infinita significantur per nomen, et tamen per nullum nomen significantur infinita. Et alii concedunt utrobique, scilicet quod infinita significarentur et quod etiam significarentur infinita.

Ad rationes

527 Rationes que fiebant procedunt viis | ⟨suis⟩. E29ra

QUESTIO 18A: *UTRUM SINT QUATUOR GENERA CAUSARUM ET NON PLURA*

528 Utrum sint quatuor genera causarum et non plura. Arguitur quod sint plura quia: Secundum Platonem exemplar est causa non minus quam finis. Et tamen non oportet quod contineatur in aliquo istorum generum. Igitur non oportet ponere ⟨quattuor⟩ genera. Item. Calor presens in materia ex quo debet fieri ignis, est causa. Et tamen non apparet quod sit causa ignis in aliquo genere causarum dicto. Igitur oportet ponere alia genera.

De causa materiali

529 Deinde arguitur quod non sit tot genera causarum. Primo videtur quod materia non sit causa quia: Propter unamquamque causam effectus est ens; sed effectus non est ens propter materiam, quia sequitur quod materia esset magis ens per istam realitatem propter unumquodque tale et ipsum magis. Modo falsum est dicere quod materia magis est

5 aliter] alibi *E*

ens quam effectus, puta quam forma vel compositum. Ergo ipsa non est causa.

530 Item. Si materia esset causa, ipsa esset causa vel forme vel compositi. Sed neutrius est causa. Igitur. Maior nota. Minor probatur. Primo quod non sit causa forme quia: Forma posset existere sine materia, vel etiam per potentiam divinam. Et effectus non videtur posse fieri sine suis per se causis. Igitur materia non est causa forme, saltem per se. Nec potest dici quod sit causa compositi, quia tunc ipsa esset causa forme et materie, cum compositum non sit nisi materia et forma; et tamen non est causa forme (ut dictum est), nec materie, quia non est idem causa sui ipsius.

De causa formali

531 Deinde arguitur quod forma non sit causa ⟨quia: Vel si esset causa⟩ postrema, ipsa est extrema in esse; et sic ipsa est effectus aliarum causarum. Modo effectus postremus in esse non debet poni causa. ⟨Igitur⟩. Vel esset causa compositi, vel materie (per sufficientem divisionem). Sed non potest dici quod sit causa materie, quia ipsa materia secundum suam totalem essentiam est ante adventum forme. Ideo non dependet in esse a forma; et causa efficiens dependet in esse a suis causis. Nec potest dici quod forma sit causa compositi, quia: Iam dictum est quod non est causa materie. Nec etiam est causa sui ipsius. Igitur non est causa compositi, cum compositum non sit nisi materia et forma.

De causa efficienti

532 Deinde arguitur quod efficiens non sit causa quia: Tunc pater esset causa filii, quod videtur falsum quia: Possibile est ⟨quod⟩ antequam filius producatur in esse, pater est mortuus, ut si statim post emissionem seminis moriatur. Et tunc apparet quod filius numquam dependet a patre, nec in esse nec in fieri, quia ab eo quod non est | non dependet E29rb aliquid. Igitur pater non est causa. Et sic efficiens non videtur esse causa.

De causa finali

533 Similiter videtur quod finis non debet esse causa quia: Causa naturaliter debet precedere causa⟨tu⟩m et finis ultimate sequitur omnia. igitur finis non est causa. Item. Si finis esset causa, vel esset causa actionis, vel agentis. Sed finis non est causa actionis. Probo quia: Dum ista actio est finis, nondum est, et quando non est non est causa; quando autem

finis est, non amplius est actio, et finis non est causa actionis, quando actio nichil est. Ergo numquam finis est causa actionis.

Quod non sint quatuor genera causarum

534 Item. Genera diversa et contraria ponentia non debent coincidere. Sed Aristotiles ponit quod forma et finis coincidunt in idem numero; yma et forma et agens coincidunt in eandem speciem. Ergo non debent poni dicta genera. Igitur non erunt quatuor genera causarum.

535 OPPOSITUM vult[1] Aristotiles in isto quinto et in secundo *Phisicorum*.

SOLVITUR QUESTIO

536 In questione dimitto cavillationes logicales. Certum enim est quod non solum sunt quatuor genera causarum, ymo plus quam 1000, quia omnia talia nomina 'materia' et 'forma' sunt genera causarum, et centum talia nomina sunt in libro tuo. Sed enumerando quatuor genera non debemus omnia nomina equivalenter in significando accipere pro uno. Certum est etiam quod cum istis quatuor generibus, materia, forma, efficiens et finis, est aliud genus superius, puta hoc nomen 'causa'. Et sunt etiam alia nomina inferiora antequam deveniatur ad species specialissimas. Et sic multiplicarentur genera causarum.

537 Sed tamen potest obici quod sint quatuor genera causarum, quod sunt quatuor nomina generalia supponentia pro omnibus causis, et pro nullis aliis, et significantia istas causas secundum diversas rationes causandi, et nulla sunt alia nomina significantia causas secundum alias rationes causandi, quoniam coincidunt cum istis quatuor nominibus, sive sint superiora vel inferiora ad ista nomina, quatuor autem ad aliquid istorum. Et ista quatuor nomina sunt 'materia', 'forma', 'efficiens' et 'finis'.

538 Nota quod omne illud dicitur causa alicuius ex quo vel a quo illud dependet aut in esse aut in fieri aut in esse perfectum aut in fieri perfectum. Et tunc manifestum est quod materia est causa forme, quia forma dependet in esse suo a materia, quia non posset esse naturaliter nisi in sua | materia. Et per consequens materia est causa E29va
compositi, cum forma cuius est causa, est pars compositi. Unde credo quod materia per prius est causa forme quam compositi, quoniam si materia esset per se et primo causa compositi, ipsa esset per se causa

1 *Metaph.* v 2, 1013b18–29; *Physica* II 3, 194b16–195a3.

cuiuscumque partis, licet non primo. Et sic esset causa ipsius, quod est falsum. Et dico etiam quod forma est causa materie, quia quamvis materia habet esse ante adventum forme, tamen non habet esse actu nec habet esse perfectum, ymo materia in essendo perfecta et in actu dependet a forma tamquam per causam, et non sicut causa est perfecta et in actu. Et hoc sufficit ad actualitatem. Unde credo quod albedo inherens homini est causa hominis, quia licet homo non habeat esse substantiale per albedinem et non sit homo per albedinem, tamen est albus per albedinem et calidus per caliditatem. Et sic dependet ab albedine vel caliditate in essendo talis vel talis. Et hoc sufficit ad caliditatem vel ad albedinem.

539 Dico quod efficiens est causa, quia ab eo dependet res in fieri sic ab agente, et sine isto non fieret. Similiter dico quod finis est causa, quia agens agit per finem; et cum ⟨hoc⟩ hec dictio 'propter' significat causalitatem. Ymo finis proprie dictus, scilicet gratia cuius agens agit prima intentione, dirigit ipsum agens in agendo, et est tamquam exemplar agentis. Et sic effectus per prius dependet a fini quam ⟨ab⟩ agente. Forma autem ultimo producta (sicut michi videtur) non est proprie causa agentis, sed denominatur causa, extrinseca denominatione per attributionem ad finem primum, qui preexistit agenti et eius actioni, et qui dirigit et necessitat agens in agendo. Unde sic forma producta ex eo dicitur causa finalis ipsius agentis, quia est quedam similitudo participata ipsius veri finis, qui dirigebat agens in agendo. Et de hoc dictum fuit in libro *Phisicorum*.

540 Et sic apparet quod ista quatuor nomina sunt quatuor genera causarum. Et non inveniuntur alia que non coincidunt cum istis, vel sunt superiora vel inferiora ad ista. Nota quod ista genera non dicuntur genera immerite in supponendo pro diversis rebus, ymo eadem res est bene forma et agens, vel etiam finis et agens. Sed ista nomina dicuntur secundum diversas rationes secundum quas aliquid potest dici causa, quia secundum quod est id ex quo presupposito aliquid fit, dicitur materia, sed secundum actualitatem et informationem | dicitur forma, E29^{vb} et secundum quod ab eo aliquid producitur dicitur agens, et secundum quod est id gratia cuius agens agit, dicitur finis. Et si exemplar dicatur causa dicta ab agente, non est nisi causa finalis, quoniam ad exemplar et secundum exigentiam finis agens agit.

6 actualitatem] albedinem(!) *E*

Ad rationes

541 Ad rationes iam de exemplari dictum est, quia est causa finalis, si non efficiens. Sed aliqui obiciunt quia domificator ad exemplar istius domus facit aliquam domum, et non facit eam finaliter propter istam domum nec gratia illius domus. Respondeo et dico quod illa domus exemplaris est causa activa remota alterius domus, quia agit in domificatione speciem et similitudinem per quam agit aliam domum. Et ideo exemplar non est causa nisi per modum finis vel per modum efficientis.

542 Ad aliam dico quod dispositiones materie ad faciendum reducuntur ad causam, scilicet materialem, et dispositiones agentes ad agendum reducuntur ad causam agentem. Et ideo posset dici quod calor in igne calefaciente est causa agens, quia est dispositio ignis ad calefaciendum. Sed si ex aqua dicitur fieri ignis, oportet prius materiam aque calefieri et ille calor factus in materia aque esset dispositio materie ad recipiendum formam ignis. Igitur debet reduci ad causam materialem respectu illius forme producende.

543 Ad aliam dico quod materia est causa. Et ideo forma habet esse per materiam. Sed non sufficienter, ymo magis per causam efficientem. Et ideo non oportet quod materia sit magis causa. Unde illa regula[1] "Propter unumquodque tale etc." non habet veritatem in causis minus presentibus quam in presentibus. Vel etiam non habet veritatem nisi in causis per quas aliquid est in actu. Modo per materiam nichil est in actu, sed per formam vel per efficiens.

544 Ad aliam dico quod materia est causa forme; nec potest forma existere naturaliter sine materia. Sed tamen concedo quod potest esse sine materia per potentiam divinam; et tunc materia non esset causa forme. Ideo non est sic causa per se forme quod hoc sit simpliciter de necessitate, sed est causa de necessitate, ex suppositione scilicet quod non concurrat miraculum.

545 Ad aliam | dico quod forma est causa materie non in essendo E30ra
materiam, sed in essendo perfectam et in actu.

546 Ad aliam michi videtur quod pater non est causa filii nisi quia fuit causa cause. Fuit enim quedam causa seminis; quod quidem semen agit ad formationem filii. Et non minus ageret, si pater esset mortuus. Ideo pater non dicitur causa filii quia agat filium, vel quia agit in formationem filii, sed solum quia egit quod agit ad formam.

1 Cfr. Johannis Venatoris *Logicam* II 7, cap. 37: «Illa oppositio in virtute cuius quecumque opposita opponuntur, est maxima oppositio, quia propter quod unumquodque, et illud magis.». Thomas Aquinas, *In Arist. Ethicam Nicom. Expos.* III 4, comm. 446 necnon VII 11, comm. 1467 eadem regula utitur.

547 Ad aliam dico quod ille finis qui vere et proprie dicitur causa et actionis et ipsius agentis, preexistit agenti. Et in naturalibus finis est Deus, gratia cuius omne agens naturale agit. Et ille finis gratia cuius artifex agit prima intentione, est ipsemet, quia agit ad acquirendum sibi victum et vestimentum ad salutem vite sue. Et sic rationes que fiebant de fine, non concludebant.

548 Ad ultimum dictum fuit quod ista quatuor genera dicuntur secundum diversas rationes causandi, et non quia semper supponant pro diversis rebus.

QUESTIO 19A: *UTRUM DIFFINITIO ELEMENTI SIT BONA*

549 Utrum diffinitio elementi sit bona in qua dicitur quod elementum est ex quo componitur aliquid primo inexistente et indivisibili specie in aliam speciem. Arguitur primo quod elementum non debet diffiniri, cum diffinitio debeat dari per priora, et elemento nichil est prius; igitur. Confirmatur quia: elementum ⟨est⟩ de generibus maxime universalibus (ut dicitur in litera); et talia non sunt diffinibilia; igitur elementum non potest diffiniri.

550 Deinde arguitur contra hoc quod dicitur 'ex quo aliquid componitur primo' quia: Ignis, aer, aqua et terra nominantur elementa corporum. Et tamen ex eis nichil componitur, cum illa per prius componantur ex materia et forma. Igitur materiale ponitur primo. Similiter male ponitur ista clausula 'inexistente' quoniam: Multi tenent quod elementa non manent in mixto. Ergo non conveniret eis ista descriptio. Item. Diffinitio non est bona que est superflua. Sed est superflua; quod patet, quia frustra ponitur ista clausula 'inexistente', quoniam ex quo omne alterum componitur inexistit ei. Et sic ista clausula 'inexistente' nichil contrahit precedentia, et sic frustra ponitur.

551 Similiter frustra ponitur ista clausula 'indivisibili specie in aliam speciem', quia | hoc satis habetur per hoc quod diceretur 'ex quo primo componebatur', quoniam si esset divisibile in alias species diversarum specierum vel rationum, ex ipso non componeretur aliquid primum, ymo ex suis partibus prius. Item. Illa clausula videtur falsa 'indivisibili specie in aliam speciem', quia elementum magis dicitur de genere quam de differentia, ut dicit[1] Aristotiles. Et tamen genus est divisibile in species, et non indivisibile. Etiam elementum maxime proprie E30rb

1 *Metaph.* v 3, 1014b9–14.

⟨dicitur⟩ de prima materia. Et tamen prima materia ⟨non⟩habet aliquam speciem per se, cum species accipiatur a forma. Modo quod non habet speciem, non debet dici indivisibile secundum speciem; unde esset locutio impropria, ⟨sicut⟩ si diceremus quod lapis est indivisibilis secundum humanitatem, cum non habeat humanitatem. Igitur sequitur quod diffinitio non sit bona.

552 OPPOSITUM huius arguitur auctoritate Aristotilis, qui ponit[1] eam tamquam bonam.

SOLVITUR QUESTIO

553 Nota quod due sunt conditiones pertinentes ad *quid nominis* ⟨elementi⟩ proprie dicti. Prima conditio est quod ex eo aliquid componitur; secunda conditio est quod ipsum non componitur ex aliquo priori. Ideo iam manifestum est quod elementum proprie dictum debet esse ex quo primo aliquid componitur. Et videtur michi quod hoc nomen 'principium' sit superius ad hoc nomen 'elementum', quia hoc nomen 'elementum' restringit ipsum ad causas intrinsecas, unde cause intrinsece numquam dicuntur proprie elementa a causis quibus sunt intrinsece.

554 Item. Nota adhuc quod appareat ⟨quod⟩ 'genus' in illa descriptione nos debemus supplere dicendo quod elementum est principium ex quo aliquid componitur primo. Et nota. Videtur michi quod ista clausula 'indivisibili specie in aliam speciem' non ponitur ibi tamquam de integritate descriptionis, sed tamquam una proprietas elementi conveniens ad diffinitionem elementi. Unde cum dicimus 'indivisibilis specie in aliam speciem', debemus intelligere quod non sit divisibile in partes diversarum rationum, quamvis sit divisibile in partes quantitativas eiusdem rationis.

555 Ex quo apparet quod elementum erit principium ex quo aliquid primo componitur, quia non esset primum ex quo aliquid primo componeretur, si componeretur ex partibus diversarum rationum. Sed non obstat primitati quod habeat partes quantitativas, quia ille non sunt priores toto nec cause totius, nisi cum hoc quia sunt partes quantitative, sint etiam partes diversarum rationum.

556 Similiter videtur michi qua⟨re⟩ illa | clausula 'inexistente' non sit E30va de integritate descriptionis: quia satis habetur per istam clausulam 'componitur', quia res non componitur ex eo quod non est de sua inte-

1 *Ibid.*, 1014a26–27.

gritate. Ideo potest dici quod ponatur ibi tamquam quedam proprietas sequens ex diffinitione elementi, sicut diceretur de alia clausula.

557 Tunc breviter dicendum est quod illa est bona descriptio quia: Omnis bona descriptio convertibiliter explicat conceptum diffiniti. Modo sic est de ista descriptione, quia per istam clausulam 'ex quo aliquid componitur primo' explicantur ille due conditiones que pertinebant ad rationem huius nominis 'elementum'. Et ponitur ibi 'principium' tamquam genus. Etiam ibi ponitur 'ex quo aliquid primo componitur' ad differentiam principiorum extrinsecorum. Et ponitur 'primo' simpliciter ad differentiam istorum principiorum que ulterius componuntur ex aliis intrinsecis principiis prioribus. Unde membra non sunt elementa animalis, quamvis animal componitur ex eis, quia ulterius ex materia et forma componuntur illa membra.

558 Ex quo correlarie concluditur per Commentatorem quod ignis, aer et aqua ⟨et terra⟩ non sunt proprie elementa, cum ultra componantur ex materia et forma, sed materia prima et forma substantialis dicuntur proprie elementa corporum naturalium. Tamen ista quatuor corpora vulgo vocata fuerunt 'elementa', quia vulgares ignorantes primam materiam non percipiunt compositionem eorum. Verum est tamen quod nomen aliquando improprie transfertur ad quedam alia propter quandam similitudinem eorum ad elementum verum. Nec oportet quod istis conveniat talis diffinitio nisi elemento proprie dicto.

Ad rationes

559 Ad rationes. Ad primam dico quod quamvis elementum sit primum in suo genere causandi, tamen hoc nomen 'elementum' non est secundum relationem primum, cum sint nomina universalia de ipso predicabilia. Ideo hoc nomen 'elementum' potest diffiniri vel saltem describi. Et quando dicitur genus generalissimum, dicitur elementum diffinitionis quiditative. Igitur concedo bene ⟨quod⟩ aliqua elementa sunt indiffinibilia, scilicet elementa diffinitionum. Tamen hoc nomen 'elementum' est diffinibile, sicut etiam possemus dicere quod genus generalissimum non est diffinibile, et tamen hoc nomen 'genus generalissimum' est diffinibile, quia hoc nomen 'genus generalissimum' est genus generalissimum, et ita hoc nomen non est elementum.

560 Ad aliam contra clausulam istam 'primo' et etiam contra clausulam istam 'inexistente' quia ignis et terra sunt elementa et eis non conveniunt iste clausule –, respondetur quod non | sunt elementa pro- E30^{vb}
prie loquendo. Et hoc notavit Aristotiles in *De generatione*, quia non

3–4 omnis] illa *E*

vocavit illa simpliciter elementa, sed dicit[1] quod sunt elementa a vulgo vocata. Et sic potest fieri secundum locutionem impropriam.

561 Ad aliam quod illa diffinitio est impropria potest dici quod non, si ille clausule auferantur que ponebantur non tamquam de integritate diffinitionis, sed tamquam quedam proprietates convenientes elemento. Sed ulterius quando dicitur quod genus generalissimum est elementum, concedo (ut dixi) quod est elementum diffinitionis. Et quando dicitur 'divisibile in diversas species', dico quod verum est ⟨de divisione⟩ totius elementi in suas partes subiectivas. Sed quando diceretur quod elementum debet esse indivisibile in specie, hoc debet intelligi de divisione totius integralis in partes integrantes ipsum et quantitativas eius.

562 Similiter quando dicitur "materia prima dicitur elementum", concedo. Et quando dicitur quod non habet speciem de se, dico quod verum est, capiendo 'speciem' pro forma. Sed sic non capit Aristotiles hic 'speciem', ymo pro ratione diffinitiva, ita quod intentio sua est quod elementum non sit divisibile in diversas species, idest in partes diversarum rationum. Modo sic materia prima bene est divisibilis. Sequitur alia questio.

QUESTIO 20A: *UTRUM CONTINUUM SIT PER SE UNUM*

563 Utrum continuum sit per se unum. Arguitur primo quod non quia: Quod est contingenter unum, non est per se unum. Sed continuum est contingenter unum; quod patet, quia potest non esse unum, quia potest dividi; et tamen cum erit divisum, non erit unum. Igitur continuum non est per se unum. Probatur maior quia: Quod est contingenter unum, non est necessario unum. Sed omne per se est necessarium, ut habetur[2] primo *Posteriorum*.

564 Item. Quod est per se multa, non est per se unum, cum unum et multa opponantur. Sed continuum est per se multa, quia de ratione continui est habere partes; et cum totum sit sue partes, igitur de ratione continui est quod ipsum sit multa. Igitur ipsum non est per se unum.

565 Item. Ex accidente et substantia non fit per se unum. Igitur continuum non est per se unum. Consequentia tenet ex hoc quia accidens

1 *De generatione et corruptione* I 6, 322b1–2.
2 *Anal. Post.* I 4, 73a35 sqq.

et substantia maiorem habent adinvicem connexionem et unionem quam partes continui adinvicem. Quod apparet quia: Partes continui possunt aliter separari, ipsis salvatis. Igitur videtur quod substantia et accidens magis debeant esse unum quam due partes continui. Et sic patet per locum a maiori quod si substantia et accidens non sunt unum per se, quod partes continui non sunt unum per se. Et ille | partes sunt E31ra unum continuum. Igitur continuum non est unum per se.

566 Item. Si continuum esset unum per se, vel hoc esset in primo modo essendi per se, vel in secundo (per sufficientem divisionem); quare dicit[1] Aristotiles quod que materialiter insunt dicuntur accidentia. Sed nec primo modo nec secundo modo dicitur continuum per se unum. Probo quia: In primo ⟨modo⟩ predicatum debet poni in diffinitione, et in secundo econverso. Sed unum non ponitur in diffinitione continui, nec continuum in diffinitione unius.

567 OPPOSITUM arguitur per Aristotilem dicentem[2] quod secundum se unum dicuntur aliqua eoquod continua.

SOLVITUR QUESTIO

568 Nota quod refert dicere 'Continuum est per se unum', capiendo terminos personaliter, et dicere "Hec propositio est vera: 'Continuum est unum' ". Ideo de utroque modo respondebitur. Nota quod '*unum*' dicitur ab indivisione. Et hic materialiter potest intelligi indivisio. Uno modo aliquid dicitur indivisum ad seipsum quia non est divisum contra seipsum; et ab huiusmodi indivisione dicitur aliquid idem sibi ipsi. Et illo modo dicerem quod omne ens est per se unum, idest omne ens ⟨est⟩ per se idem sibi, cum, alio circumscripto, adhuc esset idem sibi. Alio modo vocatur indivisio propter carentiam partium sive propter non habere partes. Et illo modo diceremus quod Deus est per se unus, et intelligentia vel anima intellectiva esset per se una. Alio modo in divinis dicitur ⟨indivisio⟩ propter inseparabilitatem partium abinvicem. Et sic naturaliter loquendo diceremus quod celum esset per se unum, quia quamvis celum habeat partes quantitativas, tamen celum ex sua natura habet quod ille non sunt abinvicem separabiles. Ideo celum illo modo dicitur per se unum. Alio modo dicitur indivisio propter non esse partes abinvicem separatas, quamvis sint separabiles. Et illo modo omne continuum est unum.

1 *Ibid.*, 73b11–13.
2 *Metaph.* v 6, 1015b36–1016a1.

569 Sed dubitatur tunc de ligno vel lapide, cuius partes sunt abinvicem separabiles, utrum sint per se unum. Et capiendo terminos significative vel personaliter idem est dicere 'Lignum est per se unum' sicut dicere 'Lignum est unum secundum naturam suam' illo modo quod per suam naturam est innatum esse unum, ita quod est sue nature conveniens quod sit unum. Et sic ego considerem lignum esse per se ⟨unum⟩, sicut ego dicerem aquam esse per se frigidam, quoniam hoc est conveniens sue nature.

570 Alio modo potest intelligi quod lignum sit unum per suam naturam ⟨quod⟩ determinet sibi quod sit unum ita quod non potest non esse unum, ipso manente, sicut homo determinat sibi quod sit risibilis et ignis quod sit calidus. Et sic ego dicerem quod lignum non est | per se E31rb unum, quia manebit quamvis dividatur, tamen non amplius erit unum, sicut etiam diceremus quod aqua non est per se frigida, quia potest calefieri.

571 Sed puto bene quod Aristotiles non intendebat de istis sensibus. Ideo nunc videndum est de alio sensu, scilicet utrum ista sit per se vera 'Continuum est unum'. Et credo quod sic, quia: Omnis propositio necessaria est per se vera, ut suppono ex primo[1] *Posteriorum*. Et tunc hec propositio est necessaria 'Continuum est unum'. Ergo ipsa est per se vera.

De duplici continuitate

572 Sed tunc dubitatur utrum sit in primo modo dicendi per se vel in secundo. Et ad hoc solvendum credo esse notandum quod duplex potest ymaginari continuitas. Una per habere partes extra partes in infinitum sive per se in infinitum. Alio modo per habere partes suas copulatas ad terminum communem. Et prima continuitas est essentialis magnitudini. Et sicut per divisionem nichil auferetur de magnitudine, ita nichil auferetur de huiusmodi continuitate. Semper enim remanet in infinitum divisibile. Sed secunda continuitas videtur tamquam accidentalis magnitudini, unde si magnitudo dividitur continua, illa magnitudo remanebit, et tamen non remanebit continuitas, quia partes eius, que abinvicem divise non amplius erunt copulate adinvicem. Modo ab illa secunda continuitate continuum dicitur esse unum. Tamdiu enim erit unum quamdiu partes eius erunt copulate; et si disiungantur, non amplius erit unum.

1 Cfr. *Anal. Post.* I 4, 73a35 sqq.

573 Et sic videtur quod si accipiatur 'unum' illo secundo modo, quod predicatio est essentialis dicendo 'Continuum est unum', cum ab huiusmodi continuitate ipsum dicatur unum. Sed tam huiusmodi continuitas quam unitas dicuntur accidere magnitudini. Et sic ego dicerem quod illa est denominativa predicatio 'Magnitudo est una'; vel etiam 'Magnitudo est continua', loquendo de illa continuitate que attenditur penes contractionem partium. Sed crederem quod illa esset essentialis 'Magnitudo est continua', capiendo continuitatem primo modo, unde continuum est differentia essentialis quantitatis. Et ideo si non primo modo capiatur 'continuum', ego ponerem istam denominativam 'Continuum est unum', sicut ista est denominativa 'Magnitudo est una'.

574 Sic ergo potes videre in quo modo dicendi per se sint tales propositiones, quoniam essentiales sunt in primo modo, et denominative in secundo modo. Ergo capiendo primo modo illa est per se in primo modo 'Magnitudo est continua' et ipsa erit per se, si 'continuum' capiatur secundo modo. Sed | econverso est de ista 'Continuum est unum', E31va quia si 'continuum' capiatur primo modo, ipsa erit in secundo modo dicendi per se, quia erit denominativa. Et si 'continuum' capiatur secundo modo, ipsa erit per se in primo modo, quia erit essentialis, sicut ista est essentialis 'Album est coloratum'.

575 Sed adhuc debetis scire quod Aristotiles non solum intendebat illos sensus, ymo intendebat quod plures partes adinvicem continue sunt unum, unde dicit in plurali numero quod aliqua dicuntur unum ex eo quia continua, scilicet quia sunt adinvicem continua. Et ex hoc correlarie concluditur quod partes sunt suum totum, quia partes adinvicem continue non ⟨minus⟩ possunt dici aliquod unum quam suum totum.

576 Deinde ne amplius oporteat de hoc loqui, nota quod plura nomina bene dicuntur unum numero, scilicet non quod sint unum, sed sic dicuntur unum, quia de ipsis significative sumptis vere dicitur hoc nomen 'unum'. Et hoc est quandocumque isti plures termini supponunt pro eodem. Etiam contingit quod plures res sunt unum, vel simpliciter loquendo, vel *secundum quid*. Et videtur michi quod simpliciter loquendo plura non sunt unum nisi altero duorum modorum. Primus modus est propter continuitatem vel extensionem. Dico quod propter continuitatem extensionis, quia sic plures partes quantitative ligni sunt aliquod unum, scilicet lignum. Secundus modus est si illarum plurium rerum una sit pura potentia, videlicet cuiusmodi est materia prima, et alia sit actus eius, quo totum dicitur *hoc aliquid*; sic enim totum simpliciter ⟨dicitur⟩ aliquod unum. Sed si essent plures res quarum

35 vel] intensionem vel *add. E*

quelibet esset actus, nos non diceremus illas res aliquod unum simpliciter loquendo, sed loquendo secundum quid ⟨scilicet secundum quod⟩ plures res actuales dicuntur esse unum; dico 'secundum quid' idest cum quadam additione. Multe enim res dicuntur 'unus populus' vel 'unus exercitus' vel 'una domus' vel 'unum secundum speciem' aut 'secundum numerum', et sic de multis aliis modis.

Ad rationes

577 Ad rationem primam, quando arguitur quod continuum est contingenter unum, concedo quod hoc non obstat quin sit unum per se, idest per suam naturam. Unde homo est per suam naturam animal, et tamen homo contingenter est animal, quoniam ipse potest non esse animal, quia potest non esse. Etiam aqua, ⟨que⟩ per suam naturam est frigida, etiam est contingenter frigida, quia potest calefieri. Et tunc quamvis continuum sit contingenter unum, non tamen sequitur quod illa sit contingenter ⟨vera⟩ 'Continuum est unum'. Verbi gratia, omnis homo contingenter est, cum possit non esse. Et tamen illa propositio 'Omnis homo est animal' diceretur ab Aristotile necessaria, et non contingens. Et sic etiam | diceretur de ista 'Continuum est unum'. E31vb

578 Ad aliam, quando dicitur quod continuum est per se multa, tamen cum hoc continuum est per se unum, quia (sicut diceretur alias) unum et multa non opponuntur nisi uniformiter accipiantur. Et non est sic in proposito, quia continuum est unum contingenter et multe partes.

579 Ad aliam potest dici quod substantia et accidens protantummodo non dicuntur simpliciter unum, quia utrumque est in actu, et sunt diversarum rationum. Partes autem continui quamvis sint magis separabiles, tamen magis dicuntur simpliciter unum propter hoc quod sunt eiusdem rationis. Et si tu queras: 'nonne substantia et accidens possunt dici unum aliquo modo?', dico quod ymo *secundum quid*, idest cum additione. Sunt enim unum subiective vel secundum inherentiam, quamvis tamen simpliciter loquendo non sunt unum.

QUESTIO 21A: *UTRUM BENE DIVIDATUR UNUM IN UNUM NUMERO ET IN UNUM SPECIE ET IN UNUM GENERE ET IN UNUM ANALOGIA, ET CUM HOC UTRUM BENE DESCRIBAT ARISTOTILES MEMBRA DICTE DIVISIONIS*

580 Utrum bene dividatur unum in unum numero et in unum specie et in unum ⟨genere et in unum⟩ analogia; et cum hoc: Utrum bene describat Aristotiles membra dicte divisionis. Arguitur quod divisio non sit bona. Primo quia non patet quid ibi dividatur, quia non ibi res pro qua sumitur iste terminus 'unum', quia nec homo ibi dividitur nec equus nec lapis, et sic de aliis pro quibus supponit ille terminus 'unum'. Nec ibi dividitur ista vox 'unum', quia non est composita ex literis et sillabis in quas ibi non dividitur. Nec etiam dividitur conceptus communis huic voci 'unum', quia ille est una res simpliciter. Ideo nichil apparet quod tali divisione debeat dividi.

581 Secundo. Illa divisio non est bona cuius membra coincidunt. Et sic est de ista, quia dicit[1] Aristotiles quod quecumque sunt unum numero, illa sunt unum in specie, et quecumque sunt unum in specie, illa sunt unum in genere. Ergo. Patet hoc etiam quia omne unum est unum numero, quia omni alicui uno superet unum tantum. Et sic alia membra non possunt dividi contra unum in numero.

582 Tertio. Illa divisio non est sufficiens, quia Aristotiles ponit alios multos modos *unius*, scilicet unum secundum quantum, unum secundum materiam etc. Et cum nulla divisio sit bona nisi sit sufficiens, igitur.

583 Quarto. Primo *Thopicorum* Aristotiles ponens[2] illam divisionem non ponit nisi tria membra, unde non ponit unum secundum analogyam. Igitur hic vel ibi male dividit.

584 Deinde arguitur quod non bene describit membra divisionis. Describit enim unum numero dicens[3] quod illa *unum* sunt unum numero quorum materia est unum. Et ita sequitur quod Deus non esset unus in numero, cum non habeat materiam, quod tamen | est falsum. Similiter E32ra
sequitur quod aer et aqua essent unum in numero, si aer generaretur

7–8 describat ar.] describatur *E* 14 voci] modo *E*

1 *Metaph*. v 6, 1016b31 sqq.
2 *Topica* I 7.
3 *Metaph*. v 6, 1016b32–33.

ex aqua, quia tunc esset eorum eadem materia. Et tamen consequens est falsum.

585 Deinde describit unum in specie dicens[1] quod ista sunt unum in specie quorum est eadem ratio. Et ex hoc sequitur, si esset bona descriptio, quod omnia que sunt eadem genere, essent eadem specie; quod est falsum. Et patet consequentia quia: Genus est univocum; et ideo habet unam rationem communem omnibus suis inferioribus, quoniam univoca dicuntur quorum nomen commune est et ratio substantie secundum illud nomen est eadem.[2] Item. Omnium que sunt eadem genere, est eadem et ratio. Igitur essent eadem specie, si descriptio esset bona.

586 Deinde describit eadem genere dicens[3] quod illa sunt eadem genere quorum est eadem figura predicationis et que habent similem modum predicandi. Et ex hoc sequitur quod omnia genera essent eadem genere adinvicem, quod est falsum. Et patet consequentia, quia omnia genera habent similem modum predicandi, scilicet de pluribus differentibus specie *in eo quod quid*. Etiam nos videmus quod isti termini 'bicubitum', 'tricubitum', 'tria', 'quatuor', 'linea', 'magnitudo' dicuntur eadem genere, quia sunt omnes de genere Quantitatis, et tamen non habent similem modum predicandi, quoniam isti termini 'tres', 'quatuor' predicantur *in quid*. Ut ⟨querenti⟩ 'Quot sunt isti?', respondetur 'tres' vel 'quatuor' vel 'quinque' et sic de aliis, et numquam ad talem questionem respondemus 'bicubitum' vel 'tricubutum', ymo ad questionem per 'Quantum?'. Sed ad vestram questionem respondentur isti termini 'linea', 'magnitudo', 'numerus'. Nam si queratur 'Quantum est hoc?', absurda esset responsio dicens quod hoc est linea vel quod hoc est magnitudo vel quod hoc est numerus. Et similiter in concreto absurdum esset respondere ⟨ad⟩ 'Quantum est hoc?', 'lineale' vel 'numerale'. Et sic non bene describitur unum in genere.

587 OPPOSITUM omnium illorum videtur intendere Aristotiles.

SOLVITUR QUESTIO

588 Et potest responderi faciliter quod ista non dicuntur unum secundum omnes eius acceptiones, sed solum ibi describitur unum secundum istas acceptiones secundum quas plures termini dicuntur unum se-

33 describitur] distinguitur *E*

1 *Ibid*., 1016b33.
2 *Categ*. 1, 1a1–2.
3 *Metaph*. v 6, 1016b33–34.

cundum quiditativam predicationem. Non dico quod isti termini *sunt* unum, sed *dicuntur* unum, idest de eis vere predicatur iste terminus 'unum', aut simpliciter, aut cum additione designante quiditativam predicationem alicuius tertii de eis. Et isti modi possunt ⟨per⟩ quandam divisionem enumerari, quia: Vel nullus illorum terminorum vere predicatur de alio, et tunc dicuntur unum in numero. Verbi gratia, si ⟨dicatur⟩ 'Marcus est Tullius', tunc Marcus et Tullius sunt unum in numero; si ⟨dicatur⟩ 'Homo est animal', tunc homo et animal sunt unum in numero. Si vero isti termini | non vere predicantur E32rb de se invicem, tunc non est predicativa predicatio. Nec ratione tertii quod predicatur de ambabus. Et tunc illud tertium vel predicatur de istis secundum eandem rationem, vel ⟨secundum diversas rationes. Si secundum eandem rationem⟩ tunc ista ratio est diffinitiva vel diffinibilis ⟨vel est ratio suprema, que nec est diffinitio nec amplius diffinibilis. Si illa ratio est diffinitiva vel diffinibilis⟩, tunc est ratio specifica. Et tunc isti termini dicuntur unum in specie. Si sit ratio suprema et indiffinibilis, tunc est ratio generalis, et isti termini dicuntur unum in genere. Si non illud tertium predicetur de istis terminis secundum diversas rationes, hoc est dupliciter. Uno modo sine ordine, vel attributivo modo unius rationis ad alteram. Et sic est pura equivocatio, et non est unitas neque convenientia nisi in voce; de quo non curat Aristotiles. Vel illa ratio dicitur secundum attributionem ad aliam, sicut esset de sano in animali et in urina; et tunc esset analogya, et isti termini dicerentur unum secundum analogyam. Sic enim secundum Aristotilem substantia et accidens dicuntur unum in ente.

589 Et sic videtur quod illa divisio sit sufficiens et bona. Et illa divisio bene compatitur alios modos *unius*, cum non sit data, ut dixi, de *uno* quantum ad omnes eius rationes et acceptiones. Unde non oportet ad istam divisionem reducere unum secundum materiam aut unum secundum locum aut secundum qualitatem.

Ad rationes circa descriptiones allatas factas

590 Propter solutiones rationum declaro descriptiones de quibus arguebatur supra textum, quod quando dicit quod illa sunt unum in numero quorum materia est una, ibi non accipitur 'materia' proprie, sed pro re pro qua terminus supponit, ita quod sit sensus 'illa sunt unum in numero' idest isti termini dicuntur unum in numero quorum materia

14–15 vel est… diffinibilis] *textum supplere conatus sum coll. Lectura ultima.*

est una, idest qui supponunt pro eodem. Et contra hoc non procedunt rationes que fiebant.

591 Sed quando dicitur "illa sunt unum in specie quorum ratio est eadem", debet suppleri 'quorum ratio diffinitiva vel diffinibilis' est eadem. Aliter procederet illa ratio que fiebat quod omnia que sunt eadem genere, essent eadem specie. Sed non procedit, isto supplemento apposito.

592 Postea ⟨quando⟩ dicitur quod illa sunt eadem genere quorum est eadem figura predicationis sive idem modus predicandi, debet suppleri quod ille predicationes sint de primis substantiis. Et sic non est verum quod omnia genera habent eundem modum, ymo que sunt de genere Substantie, predicantur *in quid* de substantiis primis, et que ⟨sunt⟩ de genere Qualitatis, predicantur *in quale* de primis substantiis, et que de genere Ubi, predicantur ad questionem factam per 'ubi?', et sic de aliis. Ideo non valebat ratio dicens quod omnia genera habent eundem modum predicandi, | quia quamvis hoc sit verum de suis terminis, E32va tamen hoc non est verum de primis substantiis.

593 Sed quod arguitur quod multi sunt termini de genere Qualitatis quibus non convenit idem modus predicandi – de quo potest dici quod non oportet omnes terminos de uno predicamento habere illum modum predicandi a quo sumitur illud predicatum. Primo enim aliqui termini abstracti non habent istum modum predicandi, sed sufficit quod sui termini concreti habeant illum. Unde ille terminus 'albedo' non predicatur *in quale*, sed ille terminus 'album'. Similiter non oportet quod genera omnia habeant talem modum predicandi, sed sufficit quod termini substantiales sub istis predicatis et sub istis generibus contenti habeant eundem modum predicandi. Verbi gratia, hoc genus Qualis vel hoc quale non proprie respondetur ad interrogationem factam per 'quale?'. Unde si quero 'Qualis est Sor?', absurda esset responsio quod ipse esset qualis; et si diceretur 'Quantus est Sor?', non esset bona responsio dicere quod est quantus. Ideo quamvis isti termini 'linea', 'superficies' etc. non proprie respondeantur ad 'quantum?' vel ad 'quot?', tamen termini sub eis contenti ⟨bene⟩ respondentur, ut 'tria', 'quatuor', 'bicubitum', 'tricubitum'. Et hoc sufficit ad hoc quod sint eadem genere.

594 Potest etiam dici quod ille questiones 'quot?' et 'quantum?' querant mensuram multitudinis vel magnitudinis. Et sic querunt in una ratione generali, licet non conveniant in rationibus specialibus. Et ideo convenit eis idem modus generalis predicandi, quamvis quesitum commune non sit impositum, quoniam nomina non sunt ad plurali-

40 commune] continue *E*

tatem imposita, et aliquando hac dictione 'quantum' utimur, quesito communi. Unde querimus 'Quanta est multitudo?' et 'Quantus est numerus?'.

595 Et ita sunt solute rationes que fiebant contra istas desciptiones.

Ad rationes contra divisionem 'unius' factas

596 Tunc possunt solvi rationes que fiebant contra [distinctionem vel] divisionem. Ad primam quando queritur quid ibi dividitur, dico quod proprie loquendo nulla est divisio nisi totius integralis in suas partes secundum quas una pars separatur ab alia. Tamen proprie loquendo ponuntur alie divisiones, ut generis in species, quamvis genus sit eque simplex vel magis simplex quam species. Unde quando dicimus genus dividi in species, nichil aliud debemus intelligere nisi ⟨quod⟩ quecumque significantur indirecte per ipsum genus, significantur directe per diversas species, aliqua per unam, alia per aliam.

597 Similiter ponimus divisionem vocis significative in suas significationes, non quia vox componatur ex istis significationibus, sed solum ad istum sensum ⟨quod⟩ dividimus vocem in suas significationes eiusdem vocis. Et isto modo in proposito hec vox | 'unum' dividitur in predictas E32vb acceptiones, et non quod componatur ex eis.

598 Ad aliam dico quod membra divisionis bene coincidunt quantum ad res pro quibus nomina supponunt. Sed tamen fundamentaliter super diversas rationes intendebamus exemplariter ⟨loqui⟩ per dictam divisionem; que quidem rationes sunt diverse et non coincidentes adinvicem.

599 Ad aliam dictum fuit quod hec divisio bene patitur alios modos *unius*. Nec esset sufficiens, si daretur de uno quantum ad omnes eius acceptiones.

600 Ad aliam potest dici quod Aristotiles in libro *Thopicorum* non expressit unitatem analogye, propter hoc quod est aliquo modo secundum equivocationem, licet non puram. Et non intendebat nisi de terminis unitatis, propter quod apparet quod predicatum 'ens' non continetur sub aliquo predicatorum de quibus determinat Aristotiles in *Thopicis*. Sequitur alia questio.

QUESTIO 22A: *UTRUM ENS BENE DIVIDITUR IN ENS SECUNDUM SE ET IN ENS SECUNDUM ACCIDENS*

601 Utrum ens bene dividitur in ens secundum se et in ens secundum accidens. Arguitur quod non quia: Illa divisio non est bona, si nullum

sit ens secundum accidens. Sed videtur quod nullum sit ens secundum accidens, ymo quod omne ens est ens per suam essentiam; igitur per se. Et sic nullum est ens per accidens. Et hoc iterum confirmatur quia: Superius dicitur secundum se de omnibus inferioribus suis. Et tamen ens videtur esse supremum et de quolibet alio dicitur sicut superius de inferiori. Igitur a nullo dicitur secundum accidens. Igitur nichil est ens secundum accidens.

602 Item. Si esset aliquod ens secundum accidens, illud esset Choriscus musicus, ut videtur[1] dicere Aristotiles. Sed Choriscus musicus non est ens per accidens, quia Choriscus musicus non est aliud quam Choriscus, qui tamen est ens secundum se, cum sit substantia per se existens. Igitur nullum est ens secundum accidens.

603 Item. Si esset ens secundum accidens, aut esset per aggregationem contingentem ex diversis predicamentis; hoc enim multi dicunt. Sed propter talem aggregationem non dicitur ens secundum accidens. Probo: Si quia propter talem aggregationem diceretur ens per accidens, tunc numerus sonorum esset ens per accidens. Modo consequens est falsum. Igitur et antecedens. Falsitas consequentis manifesta est quia: De numero sonorum est una scientia, scilicet musica; et tamen de ente per accidens non est scientia, ut habetur in sexto huius; ergo numerus sonorum non est ens per sccidens. Sed consequentia principalis patet quia: | Numerus est de uno predicamento, scilicet Quantitatis, et so- E33ra
nus de alio, scilicet Qualitatis. Et est ista aggregatio contingens, quia accidit sono quod sit numeratus, ita quod neutrum determinat sibi remotum. Et ideo manifestum est quod propter talem aggregationem contingentem non diceretur ens per accidens.

604 Item. Si propter talem aggregationem contingentem diceretur ens per accidens, aut hoc esset quia est contingenter ita quod potest non esse, vel hoc esset quia accidit alteri, sicut albedo parieti, vel hoc esset quia est ab alio sive per aliud. Sed nullo istorum modorum potest dici, quia qoocumque modo tu diceres, non posset amplius esse bona divisio entis secundum se in decem predicamenta; quam tamen divisionem ponit Aristotiles tamquam bonam. Igitur ista divisio entis in ens secundum se et in ens per accidens (vel secundum accidens) non erit bona.

605 OPPOSITUM arguitur per Aristotilem, qui ponit[2] eam tamquam bonam. Confirmatur quia: Ens et unum convertuntur, ut dicitur[3] in quarto

24 sono] numero *E*

1 *Metaph.* v 6, 1015b17–32.
2 *Metaph.* v 3, 1014a26–27.
3 *Metaph.* iv 2, 1003b22–23.

huius. Et tamen *unum* dividitur in unum secundum se et in unum secundum accidens. Igitur similiter erit de ente.

SOLVITUR QUESTIO

606 Ista questio potest solvi faciliter, notando quod 'ens' vel 'esse' potest accipi uno modo pro copula in propositione kathegorica affirmativa; et sic etiam 'non ens' vel 'non esse' accipitur pro copula in propositione kathegorica negativa. Et tunc 'esse' significat quod termini pro eodem supponunt; et si est ita, propositio est vera. Et 'non esse' significat quod termini non supponunt pro eodem. Secundum hoc igitur 'ens secundum se' nichil aliud significat nisi quod propositio affirmativa sit per se vera; et 'ens secundum accidens' significat quod sit vera per accidens. Et sic manifestum est quod ibi non dicitur 'ens' secundum omnem eius acceptionem, sed solum dicitur 'ens' prout significat propositionem affirmativam veram. Tunc manifestum est quod divisio est bona, quoniam omnis propositio affirmativa vera vel est vera per se, vel est vera secundum accidens. Est enim vera per se, si termini ex sua significatione sibi determinent quod supponant pro eodem; et est vera secundum accidens, si supponant pro eodem, tamen hoc sibi non determinent, ymo quod, stante sua significatione, possunt supponere non pro eodem. Unde hec divisio non est nisi propositionis vere in necessariam et contingentem. Et sicut dividitur ens, ita dividitur non ens sibi correspondens, quia sicut omnis propositio est vera per se vel per accidens, ita etiam negativa.

607 Notandum quod 'ens secundum se' dicto modo acceptum non est illud quod dividitur in decem predicamenta. Et ideo oportet dicere quod alio modo accipitur 'ens secundum se' prout 'secundum se' significat 'solitarie', et sic personale incomplexum diceretur ens secundum se. | $E33^{rb}$ Et isti 'secundum se' non opponitur 'secundum accidens', sed sibi opponitur 'cum alio', idest nomen incomplexum. Et illud ens secundum se, idest personale incomplexum, dividitur in decem predicamenta, sicut expresse ponit[1] Aristotiles in libro *Predicamentorum*.

608 Adhuc alio modo accipitur 'ens secundum se' pro termino absoluto a connotatione, cuiusmodi sunt termini de predicamento Substantie. Et 'ens secundum accidens' acciperetur pro termino connotativo. Et sic divisio entis in ens secundum se et in ens secundum accidens non

1 *Categ.* 4, 1b25sqq.

esset nisi divisio terminorum personalium de quibus vere dicitur hoc nomen 'ens', in terminos de predicamento Substantie et in terminos de aliis predicamentis. Et sic adhuc manifestum esset quod illa esset divisio bona.

609 Adhuc alio modo accipitur 'ens secundum se' pro substantia per se subsistente, vel etiam pro partibus substantie per se subsistentis. Et 'ens secundum accidens' accipitur pro accidente inherente huiusmodi substantie. Et illo modo adhuc esset bona divisio entis proprie dicti in ens secundum se et in ens secundum accidens, quia esset divisio entium in substantias et accidentia.

610 Adhuc alio modo sumitur 'ens secundum se', quia sicut dicetur post, 'secundum se' uno modo dicitur quod non habet causam aliquam per quam est, sed secundum seipsum sit. Et tali 'secundum se' opponitur 'secundum aliud' sive 'per aliud', quod habet causam aliquam per quam est. Et sic adhuc esset bona divisio entium in ens secundum se et in ens secundum aliud, quia esset divisio entium in ens ⟨in⟩causatum, cuiusmodi est Deus, et in entia causata, cuiusmodi sunt omnia ista inferiora.

611 Sed adhuc preter omnes istas acceptiones dicit[1] Aristotiles quod adhuc hoc nomen 'ens' aliquando significat idem quod 'verum', et 'non-⟨ens'⟩ idem quod 'falsum', sive hoc sit in propositione affirmativa sive negativa. Et hoc est quia si aliquis preponeret propositioni negationem, respondemus quod, ⟨si⟩ ita est sicut dicitur et illud esse significat, quod dicit verum, et si dicit falsum, dicimus quod non est ita. Et adhuc manifestum est quod ens sic acceptum posset dividi in per se et in per accidens, quia sic *ens* non est aliud quam *verum*, nec *verum* quam *propositio vera*. Et sic propositiones vere, sive sunt affirmative sive negative, bene dividuntur in propositiones per se et in propositiones per accidens, ut apparet[2] primo *Priorum*. – Et sic apparet quod ista divisio erat bona.

Ad rationes

612 Ad rationes. Ad primam quod omne ens est ens per suam essentiam, concedo, et hoc intrinsece. Et tamen, hoc non obstante, multa entia sunt alia a quibus habent esse suum. Et hoc non est ad propositum de ista divisione, quia in illa ratione tu loqu⟨eb⟩aris de ente proprie dicto. Et illa divisio bene erat de ente accepto pro propositione affirmativa

1 *Metaph.* v 7, 1017a31–35.
2 *Anal. Priora* i 1, 24a16sqq.

vera, vel universaliter pro propositione | vera. Sic argutum non est E33va
contra divisionem.

613 Ad aliam similiter dico quod hoc nomen 'ens' bene predicatur per se de quolibet termino pro quo significat; dico 'simpliciter' vel 'per se', saltem ex suppositione constantie terminorum. Et tamen, non obstante hoc, multe sunt propositiones vere per accidens. Ideo hoc non obstat dicte divisioni.

614 Ad aliam dico quod ista propositio 'Choriscus est musicus' vocatur ens per accidens, quia est vera per accidens.

615 Ad aliam dico quod numerus sonorum non vocatur ab Aristotile ens per accidens, sed propositio contingens vocatur ens per accidens. Sic intendit enim Aristotiles quod de ente per accidens non est scientia.

616 Ad aliam potest dici quod ibi non sumitur 'ens per accidens', nec quia contingenter sit, nec quia accidit alteri nec quia est ab alio, sicut arguebas, sed solum accipitur pro propositione vera per accidens, scilicet pro propositione contingente. – Et sic ille rationes non concludebant contra divisionem. Sequitur alia questio.

QUESTIO 23A: *UTRUM PROPOSITIO EX EO EST IMPOSSIBILIS QUOD SUA CONTRARIA DE NECESSITATE EST VERA*

617 Utrum propositio ex eo est impossibilis quod sua contraria de necessitate est vera. Arguitur quod non quia: Hec propositio est impossibilis 'Omne animal est asinus' vel etiam 'Omne ens est asinus'. Et tamen contraria non est de necessitate est vera, ymo falsa, scilicet 'Nullum ens est asinus' vel 'Nullum animal est asinus'. Et breviter: ista ratio concludit. Et statim dicendum est quod quando Aristotiles in illo quinto dicebat[1] propositionem ex eo esse impossibilem quod sua contraria de necessitate est vera, ipse per 'contrariam' intelligit contradictoriam. Et ideo contra talem intellectum arguitur, scilicet quod non ex eo propositio sit impossibilis quod sua contraria de necessitate est vera, quia: Nulla propositio de necessitate est, ymo quelibet potest non esse. Et si non est, ipsa non est vera. Igitur nulla de necessitate est vera.

618 Sed adhuc respondetur quod debet suppleri 'cuius contradictio de necessitate est vera, si formetur'. Sed adhuc contra talem glosam arguitur quia: Illa propositio 'aliqua propositio affirmativa est de necessitate vera', si formetur. Et non potest esse formaliter quam ⟨quod⟩

1 *Metaph.* v 12, 1019b22 sqq.

ipsa est affirmativa. Et ideo necesse ⟨est⟩ quod sit quedam affirmativa, si formetur, et tamen sua contradictoria non est impossibilis, scilicet illa '⟨Quedam⟩ vera propositio est affirmativa', scilicet si omnes propositiones affirmative annichilarentur, manentibus negativis. Igitur manifestum est quod ista glosa non valebat.

619 Item. Ista propositio est impossibilis 'Nulla propositio est negativa', quia non potest esse vera. Et tamen sua contradictoria | non est E33vb necessaria, scilicet ista 'Quedam propositio est negativa'. Ymo potest esse falsa, ut si omnes negative annichilarentur et remanentibus aliis affirmativis.

620 OPPOSITUM dicit[1] Aristotiles in illo septimo capitulo de potestate. Et confirmatur quia: sicut se habet ⟨propositio⟩ vera ad falsam, ita se habet necessaria ad impossibilem. Sed ex eo aliqua propositio est falsa quia sua contradictoria est vera. Igitur ex eo aliqua propositio dicitur impossibilis quod sua contradictoria est necessaria, et econverso.

De quatuor conclusionibus ad retinendum dicta communia ponendis

621 Quamvis alibi de illa materia sit locutum, tamen hic magis determinabitur utrum aliqua propositio sit vera vel falsa, possibilis vel impossibilis, contingens vel necessaria. Et ad remotionem aliquarum opinionum pono aliquas conclusiones. Prima conclusio est quod nulla propositio est falsa ex eo quod sua contradictoria est vera, quia quelibet propositio falsa non minus esset falsa, quamvis sua contradictoria non esset, et per consequens quamvis sua contradictoria non esset vera. Nichil valet ista additio 'si formetur', quia propositio falsa, sive in se sive in sua falsitate, nullo modo dependet ex sua contradictoria; sive formetur sive non, non est causa essendi falsam. Et eodem modo pono similem conclusionem de quesito, scilicet quod nulla propositio dicitur impossibilis ex eo quod sua contradictoria est necessaria, vel de necessitate vera, quia non minus esset impossibilis, quamvis sua contradictoria non esset. Et sic nec secundum se nec secundum suam impossibilitatem dependet a sua contradictoria, vel etiam a necessitate sue contradictorie.

622 Alia conclusio ⟨est⟩ quod non sequitur si aliqua propositio est vera, quod sua contradictoria sit falsa, et tamen, si non sit ipsa, nec est vera quod sua contradictoria est falsa, et econverso bene sequitur, supposita formatione ambarum. Et similem conclusionem de necessitate et impossibilitate pono. Non enim sequitur si aliqua propositio est ne-

1 *Metaph.* v 12, 1019b23.

cessaria, quod sua contradictoria sit impossibilis, nec etiam econverso. Sed hoc bene sequitur, supposita formatione ambarum simul, quoniam cuiuslibet necessarie contradictio, si formetur, est impossibilis, et econverso.

623 Alia conclusio est quod multum refert dicere 'talis propositio est necessaria' et 'talis propositio est de necessitate vera', quoniam multe sunt propositiones necessarie que tamen non sunt de necessitate vere, quoniam nulla de necessitate est, et sic non est de necessitate vera, sicut dicebatur.

624 Alia conclusio ⟨est⟩ quod non omnis propositio vera ex eo est vera quia qualitercumque ipsa significat ⟨esse⟩, ita est in re significata, vel etiam in rebus significatis, quia posito quod modo nulla rosa est, ista est vera 'Rosa rosa non est', et tamen non est ita in re sicut ipsa significat, quia propositio aliquo modo significat et nullo modo est ita in re | E34ra significata, quia res significata nichil est. Igitur non est in ea nec taliter nec aliter, ymo nullo modo est. Similiter illa est vera 'Antichristus erit', et tamen adhuc non est ita in re sicut ipsa significat, nec etiam aliter, quia cum Antichristus nichil sit, nullus modus est in eo. Ideo nec ita est in eo nec aliter.

625 Iste conclusiones sunt posite ad removendum aliquas opiniones et ad retinendum dicta communia. Item. Pono conclusionem ad declarandum veritatem. Et dico breviter quod aliter oportet loqui de propositionibus de presenti et aliter de istis de preterito et de futuro, et aliter de istis affirmativis et aliter de negativis. Dico ergo quod affirmativa kathegorica de presenti ex eo est vera quia qualitercumque significat esse, ita est in re significata vel in rebus significatis. Sed illa de futuro ex eo est vera quia qualitercumque significat fore, ita erit, et ista de preterito vera est quia qualitercumque significat fuisse, ita fuit. Unde 'Antichristus erit' est vera quia significat Antichristum fore et ita erit. Similiter propositio affirmativa de possibili ex eo est vera quia qualitercumque significat ⟨possibile esse, ita possibile est esse; et propositio affirmativa de necessario ex eo est vera quia qualitercumque significati⟩ necesse esse, ita necesse est esse.

SOLVITUR QUESTIO

626 Nota quod verita⟨ti⟩s et falsita⟨ti⟩s alicuius propositionis, si aliquando sit vera et aliquando falsa, sunt cause opposite. Et ideo potestis videre unde est quod aliqua propositio sit falsa. Nam ex eo affirmativa de

33 necesse] est *add. E*

presenti est falsa quia non qualitercumque significat ⟨esse⟩, ita est. Et simili modo de veritate dicatur de istis de preterito et de futuro; et proportionaliter etiam de istis de necessario et de possibili.

627 Item. Nota quod eadem penitus est causa veritatis alicuius propositionis et falsitatis sue contradictorie. Et hoc est quod nullo casu possunt ambe simul esse vere vel simul false, quia quecumque sunt cause veritatis unius ex parte rerum significatarum, eedem sunt cause falsitatis alterius, si simul formentur. Et per hoc vos habetis unde propositiones negative sunt simul vere vel false. Negativa enim de presenti ex eo est falsa quia qualitercumque affirmativa ⟨sibi⟩ contradictoria signific⟨ar⟩et esse, si formaretur, ita est; et suo modo dicatur de affirmativis propositionibus. Sed negativa ex eo est vera quod non qualitercumque affirmativa sibi contradictoria significat esse, ita est. Et simili modo dicatur de aliis.

628 Item. Nota quod multum differt ⟨propositio⟩ possibilis et propositio de possibili, vel etiam propositio necessaria et de necessario. Iste enim de possibili vel de necessitate sunt modales, sed iste que sunt pure de inesse, sunt bene possibiles et necessarie. Et sic illa est necessaria 'Deus est', et illa est possibilis 'Homo currit'.

629 Et debetis scire quod possibilis aliquando habet contradictoriam possibilem. Verbi gratia, ambe ille sunt possibiles | 'Quidam homo currit', 'Nullus homo currit'. Et aliquando possibilis habet contradictoriam impossibilem, ut hec est possibilis 'Homo non est asinus' et sua contradictoria est impossibilis, scilicet 'Homo est asinus'. Sed omnis impossibilis habet contradictoriam necessariam, si formetur; et econverso. Et ideo non est eadem causa necessitatis ⟨unius⟩ et impossibilitatis alterius. E34rb

630 Et hoc voluit vel debuit intendere Aristotiles quando dixit[1] propositionem esse impossibilem quia sua contradictoria est necessaria vel de necessitate vera. Unde propositio sua de virtute sermonis non erat vera, sed ad predictum sensum quod eadem est causa impossibilitatis que est causa necessitatis contradictorie. Dicamus igitur quod affirmativa necessaria ex eo est necessaria quod qualitercumque significat esse, ita necesse est esse. Et tunc negativa ex eo est necessaria quia qualitercumque significat non esse, ita necesse est non esse. Et suo modo dicatur de futuro et de preterito, scilicet variando tempora.

631 Etiam tunc habetis unde dicatur propositio impossibilis, quia dictum fuit quod eadem sit causa necessitatis unius et impossibilitatis ⟨sibi⟩ contradictorie. Igitur negativa ex eo est impossibilis quia quali-

1 *De interpr.* 12, 22a6 sqq.

tercumque affirmativa sibi contradictoria, si formaretur, significaret, ita necesse est esse. Et affirmativa ex eo est impossibilis quia qualitercumque negativa contradictoria significaret non esse, ita necesse est non esse.

Ad rationes

632 Rationes que fiebant in principio questionis, concludunt. Sequitur alia questio.

QUESTIO 24A: *UTRUM RELATIVA SECUNDI MODI PERTINEANT AD PREDICAMENTUM AD ALIQUID, VEL AD ALIUD PREDICAMENTUM*

633 Utrum relativa secundi modi pertineant ad predicamentum Ad aliquid, vel ad aliud predicamentum, scilicet relativa que dicuntur secundum potentias activas et secundum actiones illarum potentiarum. Arguitur quod non quia: Que sunt de predicamento Actionis vel Passionis, illa non sunt de predicamento Ad aliquid. Sed relativa ipsius secundi modi sunt de predicamento Actionis vel Passionis. Igitur non sunt de predicamento Ad aliquid. Maior manifesta est, quia dicitur[1] in *Predicamentis* quod diversorum generum et non subalternatim positorum diverse sunt species et differentie; et in sexto *Thopicorum* dicitur[2] quod numquam idem nomen sive idem predicatum est in diversis predicamentis, nisi sumatur equivoce. Minor declaratur quia: In illo secundo modo dicuntur adinvicem calefactivum et calefactibile et calefaciens ad id quod calefit. Modo in capitulo de ente dicitur[3] quod idem est dicere 'secat' et 'est secans' vel etiam 'calefacit' et 'est calefaciens', et sic de aliis. Modo evidenter illa predicata 'calefacit', 'secat', 'urit' sunt de predicamento Actionis sive de predicamento Agere. Igitur similiter ista predicata 'calefaciens' et 'secans' sunt de illo predicamento Actionis; et pari ratione 'calefit' et 'secatur' | et 'uritur' sunt E34va de predicamento Passionis.

634 Tamen cum Aristotiles poneret[4] illa pertinere ad secundum modum relativorum tamquam sumpta secundum actiones et passiones, propterea idem dico de 'calefactivo' et de 'calefactibili', quia calefa-

1 *Categ*. 3, 1b16.
2 Cfr. *Topica* VI 10, 148a23 sqq.
3 *Metaph*. V 7, 1017a28–30.
4 *Metaph*. V 15, 1021a14–24.

ciens et calefactivum non differunt nisi secundum actum et potentiam; calefaciens enim dicitur quod secundum actum et iam actu calefacit, sed calefactivum dicitur quod potest calefacere. Modo talis differentia, scilicet penes actum et potentiam, non diversificat predicamenta; propter hoc enim dicit[1] Commentator in prohemio *De anima* quod actus et potentie differentie opposite sunt, que tamen in quolibet predicamento reperiuntur, et in octavo *Phisicorum* dicit[2] idem quod potentia est de genere actus; et Aristotiles in capitulo de ente nono huius cum divisit ens in decem predicamenta, dividit[3] iterum ens secundum quodlibet predicamentorum in actum et potentiam.

635 Et hoc est quia quodlibet predicabile de quocumque predicamento fuerit, potest actualiter predicari de subiecto suo mediante hoc verbo 'est', et sic pertinet ad actum; vel mediante hoc verbo 'potest', et sic pertinet ad potentiam. Unde dicimus in predicamento Substantie quod Jhesus est homo et Antichristus potest esse homo, et in Qualitate dicimus quod ille albus ⟨erat⟩ et ille potest esse albus. Et similiter ad idem pertinebunt ille predicationes 'A calefacit' et 'A potest calefacere' vel etiam 'A calefit' et 'A potest calefieri'. Et tamen omnino est idem dicere 'A potest calefacere' et 'A est calefactivum'; et similiter idem est dicere 'A potest calefieri' et 'A est calefactibile'. Igitur sicut 'calefacere' et 'calefieri' pertinebant manifeste ad predicamenta Actionis vel Passionis, ita ad eadem predicamenta pertinebunt 'calefactivum' et 'calefactibile'. Que tamen erant relativa secundi modi sumpta secundum potentias activas et passivas, sicut postea etiam de relativis secundum tempus preteritum vel futurum erit idem dicendum, quia ille diversitates temporum non diversificant predicamenta. Unde dicere quod Sor erit homo ita pertinet ad predicatum Substantie sicut dicere quod Sor est homo, et ad predicamentum Actionis pertinet 'Sor calefaciet' sicut 'Sor calefacit'.

636 Et sic apparet quod omnia relativa istius secundi modi sunt directe de predicamento Actionis vel Passionis. Et sic non sunt de predicamento Ad aliquid.

637 OPPOSITUM huius videtur expresse determinare Aristotiles et Commentator ubi dicit[4] Aristotiles quod differentia est inter duos primos modos et tertium, quia duobus primis modis utrumque ⟨relativorum⟩ dicitur per se ad reliquum, et in tertio modo solum unum dicitur per

1 AVERROES, *In I Arist. De anima comm. magnum*, p. 10, 20–21.
2 AVERROES, *In Arist. Phys. Comm.* ad VIII 4, 255a23 sqq.
3 *Metaph.* IX 1, 1045b25–35.
4 *Metaph.* V 15, 1020b32–1021b3.

se | ad reliquum et non econverso. Et Commentator dicit[1] quod in primo modo et secundo utrumque relativorum est per se in relatione et eodem ordine, quod non est ita in tertio modo. E34vb

638 Et hoc etiam probatur per rationem quia: Istis relativis de secundo modo conveniunt proprietates relativorum, quia ita bene dicuntur adinvicem ad convertentiam sicut 'dominus' 'servus'. Calefactivum enim est calefactibilis calefactivum, et calefactibile est calefactivo calefactibile. Igitur hec vere sunt de predicamento Ad aliquid. Item. Dicit[2] Aristotiles in illo secundo modo quantum ad tempus preteritum simpliciter hec omnia nomina 'pater' et 'filius' sumuntur secundum egisse et passum fuisse, et tamen dicta nomina vere ponuntur de predicamento Ad aliquid.

SOLVITUR QUESTIO

639 Ista questio est satis difficilis, quia non multum solet tractari. Sed videtur michi notandum quod quamlibet rem ego possem concipere conceptu absoluto et secundum illum conceptum imponere sibi nomen absolutum, sicut sunt ista nomina 'homo', 'lapis', 'albedo', 'caliditas', et sic de aliis. Sed iterum ego possum quamlibet rem concipere et intelligere in habitudine ad aliam, et sic intelligo equum esse diversum ab asino, et albedinem a dulcedine. Unde secundum tales conceptus et intellectus imponuntur rebus nomina relativa, ut quod res dicitur eadem vel diversa. Et sicut ⟨sunt⟩ aliquales rerum speciales habitudines vel in agendo vel in continendo vel ⟨in⟩ inherendo, et sic de plurimis habitibus ego intelligo. Intelligendo ⟨enim⟩ illas res in comparatione adinvicem potero imponere eis nomina specialia relativa, ut quod hoc est continens et illud contentum, quod illud est habens et illud est habitum, quod illud est percutiens et illud est percussum, et sic de aliis.

640 Nota quod ego possum intelligere ignem agere, non intelligendo quod agat in passum, quia possem intelligere quod agat calores sine subiecto. Et sic possem intelligere quod ignis calefacit, idest calore calefacit, et tamen nullum calefactibile calefacit, idest quod nullum calefactibile sit passivum et recept⟨iv⟩um caloris. Sed tunc: quia videmus de facto quod ignis iste calefacit hoc lignum, ego possum intelligere ignem secundum specialem habitudinem ad hoc lignum, se-

1 Averroes, *In Arist Metaph. comm.*, *ad locum*.
2 *Metaph*. v 15, 1021a21–25.

cundum quam dicam quod iste ignis est calefactivus huius ligni, et hoc lignum est calefactibile ab hoc igne. Et tunc ille terminus 'calefactivum' erit terminus equivocus, quia secundum diversos conceptus impositus. Unde cum intelligo ignem esse calefactivum, non intelligo passum quod debeat calefieri. Et ideo ille terminus 'calefactivum' esset terminus absolutus ab | ulteriori dependentia, quia ignis calefaceret, et E35ra tamen nichil alterum calefaceret. Sed quando intelligo calefactionem in ordine ad passum et secundum intellectum istum vel conceptum impono ista nomina 'calefactivum' vel 'calefacere', illa nomina sunt relativa et dependentia ad ulteriorem terminum expressum vel subintellectum, sicut esset ille terminus 'pater' vel ille terminus 'dominus'.

641 Item. Nota quod illa predicata sunt de predicamento Relationis que dependent ad ulteriores terminos et illos connotant. Et ideo oportet quod predicentur de subiectis suis cum additione aliquorum terminorum vel expressorum vel subintellectorum. Sed isti termini qui sic non dependent ad ulteriores terminos, non sunt directe de predicamento Ad aliquid, sed oportet eos ponere de aliis predicamentis.

642 Ex istis dictis possunt concordari rationes que ad utramque partem fiebant. Diceremus enim quod isti termini 'calefaciens' et 'calefactivum' si imponuntur in ordine ad passum, connotabunt illud passum et non predicabuntur de suis subiectis nisi cum additione tertii termini subintellecti vel expressi. Unde sic calefaciens erit calefactivus alicuius et intelligetur esse calefaciens aliquid, et intelligetur esse calefactivum alicuius, et pertinebunt vere et proprie ad predicamentum Ad aliquid. Sed si isti termini 'calefacere' et '⟨esse⟩ calefactivum' sumantur secundum conceptum non respectivum ad passum, tunc oportebit quod ⟨non⟩ pertineant ad predicamentum Ad ⟨aliquid⟩. Ideo sic oportebit ponere ⟨conceptum respectivum⟩ ad predicamentum Actionis distinctum a predicamento Ad aliquid, ad quod predica⟨men⟩tum actionis pertinent dicta nomina. Et nullum est inconveniens quod idem nomen equivoce sumptum pertineat ad diversa predicamenta.

643 Deinde sicut dixi de actione, ita intelligendum est de passione. Posset enim aliquis intelligere quod B calefieret absque hoc quod oporteat intelligere quod ab alio calefieret, quia si solum intelligamus quod B continue plus et plus habeat de calefactione, licet non intelligamus quod ab alio habeat, nos intelligimus ipsum calefieri. Et illo modo ista nomina 'calefieri' et '⟨esse⟩ calefactibile' non pendebunt ad ulteriores terminos, et sic non erunt de predicamento Ad aliquid. Ideo oportebat ponere predicamentum Passionis distinctum a predicamento Ad aliquid, ad quod predicamentum Passionis pertinerent dicti termini. Si vero intelligamus calefactibile vel id quod calefacit in ordine ad agens a quo calefit et secundum talem conceptum imponemus talia nomina,

essent vere de predicamento Ad aliquid et dependebunt ad ulteriores terminos, vel expressos vel | subintellectos. Et secundum ista dicta E35rb
rationes procedunt. Et videtur michi quod difficile est aliter solvere istam questionem. Sequitur alia.

QUESTIO 25A: *UTRUM RELATIVA TERTII MODI REFERANTUR ADINVICEM UNIFORMITER*

644 Utrum relativa tertii modi referantur adinvicem uniformiter. Et arguitur quod sic per Aristotilem in *Predicamentis* dicentem[1] quod omnia relativa dicuntur ad convertentia[m], idest quod utrumque dicitur ad reliquum et sic referuntur adinvicem. Et in *Postpredicamentis* ponit[2] quod omnia relativa reciproca sunt, idest mutuo adinvicem referuntur. Et ibidem, scilicet in *Predicamentis* ipse expresse exemplificat[3] de relativis tertii modi, scilicet de sensu et sensato, de scientia et scibili, ubi dicit ipse quod sensus est sensati sensus et sensatum est sensu sensatum; et sic etiam scientia est scibilis scientia et scibile est scientia scibile. Et sic apparet quod uniformiter referuntur adinvicem.

645 Item. Relativa secundi modi ⟨et⟩ primi referuntur adinvicem uniformiter sive mutuo. Ergo relativa tertii modi connotantur per hoc quod relativa tertii modi non differunt a relativis primi modi et secundi. Nam sensibile et sensus ponuntur in tertio modo; qui termini se habent adinvicem sicut activum et passivum. Sensibile enim est activum in sensu et sensus est passivus ab ipso sensibili, ut apparet tertio *De anima*. Similiter mensura et mensurabile, que ponuntur in illo tertio modo, pertinent ad primum modum, quoniam sumuntur penes numerum. Nam unum est mensura numeri et numerus est mensura unius, ut videbitur in septimo.

646 OPPOSITUM determinat Aristotiles ponendo[4] differentiam inter tertium modum et duos primos sive priores modos. Nam in primo modo et in secundo utrumque dicitur per se ad reliquum et in tertio unum dicitur per se ad reliquum, et non econverso, sicut mensura dicitur per se ad mensurabile et sensus ad sensibile, et non econverso nisi per accidens. Et sic magis expresse dicit[5] Commentator.

1 *Categ*. 7, 6b28.
2 *Categ*. 10, 11b24–31.
3 *Categ*. 7, 6b34–35.
4 *Metaph*. V 15, 1020b32–1021b3.
5 Averroes, *In Arist. Metaph. comm*., *ad locum*.

SOLVITUR QUESTIO

647 Nota quod propter dicta Aristotilis et Commentatoris aliqui ponunt relationes distinctas preter animam a suis fundamentis. Et voluerunt sic glosare Aristotilem et Commentatorem quod relativa primi modi et secundi modi referuntur adinvicem et mutuo relationibus realibus, scilicet distinctis preter animam a rebus que referuntur, ut quod paternitas sit distincta a patre et filiatio a filio. Sed in relativis tertii modi unum refertur ad alterum relatione reali, scilicet distincta ab eo quod refertur, sed econverso alterum non refertur ad ipsum nisi per relationem anime.

648 Tamen illa opinio videtur michi nulla, quia in relativis primi modi ponuntur idem et diversum, et tamen ydemptitas non est | relatio pre- E35va ter animam addita rei que est sibi eadem, ymo sicut dicit[1] Aristotiles, intellectus in relatione ydemptitatis utitur uno termino ut duobus. Et sic etiam credendum est quod diversitas non sit preter animam aliquid additum ei quod est diversum vel ipsis que sunt diversa, ut videbitur post.

649 Nota. Item. In secundo modo referuntur aliqua adinvicem secundum actus iam preteritos vel adhuc futuros. Et non est credendum quod super tales actus qui iam sunt, fundentur preter animam relationes reales. Item. Si magnitudo baculi sit relativa ad magnitudinem lapidis, non apparet quod natura propter hoc debeat facere ibi relationes reales ad comparandum illas magnitudines. Nec etiam oportet quod natura faciat novam relationem ad hoc quod sensus et sensibile referantur adinvicem.

650 Ideo illa opinio videtur tota ficta. Ideo videtur michi ⟨quod⟩ oportet verba Aristotilis exponere altero secundorum modorum. Primus est quod in primo modo relativorum et in secundo Aristotiles intendebat loqui de terminis relativis qui adinvicem dependent in predicando, sicut sunt isti termini 'duplum' et 'dimidium', 'pater' et 'filius' etc.; dicitur enim pater filii ⟨pater⟩ et filius patris ⟨filius⟩. Et sic etiam isti termini 'sensibile', 'sensitivum', 'mensurabile' et 'mensurativum' pertinerent ad secundum modum vel ad primum. Nam sensibile et sensitivum sunt sicut activum et passivum. Sed in tertio modo Aristotiles non loquebatur de dependentia terminorum adinvicem in predicando, sed loquebatur de reali dependentia effectuum de suis causis in essendo. Sic etiam non est mutua dependentia, quia quamvis effectus depen-

1 *Metaph.* v 9, 1018a9.

deat a sua causa in essendo, tamen non est ita econverso. Et tunc oportet glosare verba Aristotilis quod per 'mensuram' intelligat effectum et per 'mensurabile' causam protantummodo, quia effectus sunt nobis notiores causis. Ideo per effectus solemus cognoscere causas, et sic quodammodo mensura est ipsarum causarum. Sic igitur mensura dependet in esse a mensurabili, idest effectus a causa, et non econverso. Similiter quando dicit Aristotiles quod scientia dicitur ad scibile et non econverso, ipse capiebat 'sensum' pro 'sensatione' et 'intellectum' pro 'intellectione', quia sensatio quodammodo causatur a sensibili et intellectio ab intelligibili.

651 Alio modo exponuntur dicta Aristotilis quod in omnibus tribus modis Aristotiles intendebat de terminis ductis ad alios terminos in predicando. Sed volebat ponere talem differentiam inter tertium modum et alios duos quod in duobus primis modis utrumque relativorum dicitur ad reliquum | uniformiter, quia utrobique significant terminum E35^{vb} concretum, sicut 'duplum' ad 'dimidium' et econverso, 'pater' ad 'filium', et econverso. Sed relativa tertii modi sic differenter referuntur quod unum refertur ad alterum tamquam ad terminum concretum, et non econverso, sed ad abstractum. Mensura enim dicitur ad mensurabile ut ad ⟨con⟩cretum, et mensurabile ad mensuram sicut ad abstractum.

652 Et forte tanta est differentia inter illos modos quod propter relationem primi et secundi modi termini dicuntur proprie de predicamento Ad aliquid, quoniam iste modus est communis aliis predicamentis. Non enim solum dicimus quod mensura sit mensurabilis mensura, sed etiam quod albedo est albi albedo, et anima animati anima, humanitas hominis humanitas. Unde si 'mensurabile' sit terminus de predicamento Ad aliquid, hoc non est inquantum dicitur ad mensuratum. Sicut enim agens dicitur ad passum et activum ad passivum, ita diceremus mensurans dici ad mensuratum, et mensurabile ad mensurativum. Et sic etiam sentiens diceretur ad sensatum et sensitivum ad sensibile. Et sic isti termini possunt dici ad aliquid. Et non ea ratione contra dicerentur ad sensum vel ad mensuram. Sic etiam intellectum diceretur ad intelligibile et scitum ad scibile et sciens ad scitum et locans ad locatum et locatum ad locabile et non ad locum, licet bene dicamus 'locus locati locus' et 'locatum loco locatum'.

Ad rationes

653 Et sic videtur michi quod rationes ad utramque partem possint solvi, quia non procedunt contra aliquam illarum glosarum.

QUESTIO 26A: *UTRUM PROPINQUITAS VEL DISTANTIA SIT DISPOSITIO PRETER ANIMAM ADDITA REBUS PROPINQUIS VEL DISTANTIBUS SIVE DIFFERENTIBUS A REBUS PROPINQUIS VEL DISTANTIBUS*

654 Utrum propinquitas vel distantia sit dispositio preter animam addita rebus propinquis vel distantibus sive differentibus a rebus propinquis vel distantibus. Arguitur primo quod sic quia: Omnia corpora que nunc sunt, non sufficiunt ad hoc quod ille ignis comburat illam stuppam, scilicet quando non est propinquans. Ergo preter communia corpora que nunc sunt, ⟨aliquid⟩ aliud requiritur; quod est propinquitas.

655 Ad hoc solet responderi quod propinquitas non est nisi res propinqua vel res propinque. Sed hoc nomen 'propinquitas' cum hoc quod supponit pro istis rebus propinquis vel pro una earum, connotat carentiam dimensionis medie facientis distare. Et ideo preter corpora que nunc sunt et virtutes eorum, nichil aliud requiritur quam ⟨quod⟩ dimensio media faciens distare auferatur. | E36ra

656 Contra istam responsionem obicitur quia: Nos ex fide tenemus quod Deus posset annichilare istum mundum inferiorem, celo manente in sua dispositione et figura. Hoc autem facto, poli non tangunt se et sic non essent propinqui. Et tamen nulla esset dimensio media faciens distare, quia ponitur quod sit annichilata. Ergo propinquitas plus connotat quam carentiam dimensionis medie. Ideo videtur quod ad hoc quod corpora sint adinvicem propinqua, exigitur alia dispositio preter ipsa.

657 Item. Ponamus quod nulla sint corpora mundi nisi tres lapides, puta A, B, C (hoc Deus posset bene facere); et sit B medium inter A et C; postea moveantur ita quod scilicet C sit medium inter A et B, et quod, hoc facto, non sint alia corpora quam illa corpora tria. Constat quod alio modo se habent quam ante se habuerunt, et tamen non sunt alia corpora. Igitur si⟨c⟩ ille modus se habendi differt ab istis corporibus. Et sic habetur propositum. Et patet ista consequentia quia: Modus se habendi est alius quam ante erat. Et illa corpora non sunt alia. Ergo oportet quod modus differat ab istis, nisi tu dicas quod idem sit aliquid et non-aliquid.

658 Item. 'B esse medium inter A et C' si supponat pro B, tamen ⟨quod non⟩ plus connotat quam A et C, hoc non posset Deus facere. Tunc manentibus B et A, C semper remanet B medium. Quod tamen est falsum. Potest enim extremum fieri, ipsis remanentibus. Ergo 'B esse

medium' plus connotat quam corpora. Et illud non potest poni nisi dispositione addita.

659 IN OPPOSITUM arguitur quia: Si propinquitas vel distantia esset dispositio addita, sequeretur quod in quolibet corpore et in qualibet parte eius essent infinite dispositiones addite; quod ⟨est⟩ absurdum. Et patet consequentia quia: Hoc corpus, quod vocetur A, aliter se habet secundum propinquitatem vel distantiam ad corpus B et ad corpus C. Ideo esset alia dispositio secundum quam distaret a corpore B et a corpore C. Et iterum si distat a corpore C, tunc plus distat ab una parte eius quam ⟨ab⟩ alia. Etergo est alia et alia distantia, ymo ad quamlibet partem est alia et alia distantia. Et cum sint infinite partes, infinite erunt distantie. Et sic essent infinite dispositiones addite. Quod esset absurdum.

660 Item. Sequeretur quod, aliquo corpore moto, fierent dispositiones in quolibet corpore celesti. Consequens falsum; igitur et antecedens. Falsitas consequentis videtur nota quia: Absurdum videtur quod propter motum vestuce[1] aliquid novum generetur in celo, ymo continue infinita corpora moventur vel infinite partes corporum. Et videtur quod in celo continue generari videntur infinite | nove dispositiones, quod vi- E36rb detur omnino absurdum. Sed consequentia principalis probatur quia: ⟨Quando⟩ hec vestuca movetur, sol habet aliquam ⟨aliam⟩ distantiam ab illa quam ante. Ideo esset in sole alia dispositio sibi addita, scilicet distantia vel propinquitas esset dispositio addita rebus distantibus vel propinquis.

SOLVITUR QUESTIO

661 Ista questio videtur difficilis. Et videtur difficilior propter ea que tenemus ex fide, quam si teneremus opinionem Aristotilis, licet utrobique sit difficilis. Videamus ergo opinionem Aristotilis. Aristotiles credidisset quod impossibile est esse duo corpora que non tangant nisi sit distantia sive dimensio media faciens distare. Ideo secundum hoc videtur esse dicendum quod distantia huius corporis ab isto non est nisi dimensio media, que si corrumperetur, ista corpora essent de necessitate propinqua et non amplius distarent. Vel posset dici – revertendo in idem quantum est ex parte rei – ut si dicamus A distare ab illo B,

1 The referent of 'festuca' or 'vestuca', lit. 'straw', 'bit of fluff' is described (in the anonymous 15th cent. *Conflatus vocabulorum*) as "aliqua parva res nullius quasi utilitatis vesti vel consimili rei appendens, et dicitur propter similitudinem feni a 'fenum, -ni'".

tunc hoc totum ‘A distare ab illo B’ supponit pro A et connotat B et dimensionem intermediam. Et non oportet ponere aliquam dispositionem. Sed ‘A tangere B’ vel ‘esse propinquius ipsi B’ supponit pro A et connotat B et carentiam dimensionis medie. Et ita non oportet ponere dispositionem aliquam ad hoc quod A sit propinquum ipsi B.

662 Ita puto quod Aristotiles diceret. Sed tamen revertitur difficultas que tangebatur in rationibus, scilicet ‘B esse medium inter A et C’ non solum connotat A et C, ymo connotat plus, quia ⟨si⟩ solum connotaret A et C, tunc semper, istis remanentibus, esset medium. Quod est falsum. Posset responderi quod ‘B est medium inter A et C’ non solum connotat quod B ex una parte sui tangat ipsum A et ex opposita parte tangat ⟨C⟩, et ‘C illud tangere’ non connotat nisi carentiam dimensionis. Et sic manifestum est quod adhuc non oportet ponere aliquam dispositionem ad ista preter A et B et C et partes eorum.

663 Si vero B sit medium inter A et C non immediatum utrimque, sed distat ab utroque, adhuc revertitur difficultas sicut prius, quoniam ‘B sic esse medium’ non connotat nisi inter ipsum et C et A esse distantiam mediam tangentem ipsum ex una parte et alium ex alia parte etiam tangentem ipsum et omnia salvantur per A et B et C. Et sic per dimensiones intermedias sine alia dispositione addita. Et sic solveretur ultima ratio que fiebat.

664 Et tunc ad penultimam, quando dicebatur quod si B erat medium et postea fiat extremum et C medium, tunc A, B, C alio modo se habent quam ante se habuerunt, hoc concedo. Et ⟨quando⟩ tu dicis: tamen non sunt alia corpora, concedo quod non sunt | alia corpora, sed tamen E36va
⟨aliter⟩ situata. Et ille alter modus situationis non est nisi propter motum localem secundum quod B, quod erat medium, aufertur et sic non amplius facit distare A et C. Et per ipsum motum localem – per quem situs ⟨eius⟩ variatur et ⟨qui⟩ ponitur inter A et B et facit ea distare, cum ante non distarent – illud ‘aliter se habere’ nichil connotat preter illa corpora et motum localem per quem modus variatur. Et credo bene quod ille motus sit alia res, sicut alias dicetur in libro *Phisicorum*.

665 Sed adhuc videtur quod ratio non sit soluta, quia alio modo se habet. Igitur est alius modus se habendi ⟨per quem⟩ distat ab istis corporibus. Respondeo quod si A distat ab ipso C per B medium et post auferatur B ita quod tangat C, dico quod A alio modo se habet ad C quam ante, non intelligendo quod ille modus alius sit alia ratio, sed ⟨quod⟩ hoc totum ‘A aliter se habere ad C’ supponit pro A connotando C et connotando quod prius B faciebat ea distare et post non facit ea distare. Quod C inportabatur per solum motum localem per quem removebatur B absque hoc quod esset aliqua dispositio addita.

666 Sed ad primam rationem que fiebat de annichilatione mundi inferioris, remanente celo in sua figura, ubi tamen poli essent adinvicem propinqui et tangunt vel distarent, Aristotiles responderat quod illud esset impossibile (et ad impossibile sequitur quodlibet). Ideo concesssisset quod ad huiusmodi annichilationem sequitur quod poli tangunt se et non tangunt se et quod distarent abinvicem et quod non distarent. Sed tamen concedo quod hoc sit impossibile.

667 Dubitatio est maior utrum tangant se vel non ⟨quam⟩ utrum distent vel non. Et videtur michi quod non distant secundum rem, quia spatium intermedium non esset. Et cum res non distent nisi per spatium intermedium, tamen posset concedi quod distarent distantia curva vel circulari, quod esset spatium circulare, scilicet magnitudo celi. Constat etiam quod non tangunt se. Et sic videtur quod ad hoc quod ante non tangebant se et fiant tangentia, plus requiritur quam remotio vel annichilatio dimensionis medie. Et illud 'plus' non est nisi quod moveantur per quem motum appropinquant se invicem. Et est concessum quod ille motus est alia res.

QUESTIO 27A: *UTRUM CONVENIENTIE ET DIVERSITATES RERUM ADINVICEM SINT RES ADDITE PRETER ANIMAM REBUS CONVENIENTIBUS AUT DIVERSIS*

668 Utrum convenientie et diversitates rerum adinvicem sint res addite preter animam rebus convenientibus aut diversis. Et posset argui quod sic, rediendo ad precedentem questionem, quia propinquitas etiam est quedam convenientia et remotio est quedam diversitas et disconvenientia. De quibus tamen | arguebatur in alia questione quod sint res E36^{vb} addite. Ideo hoc demitto. Et arguo aliter sic. Homo et asinus propter operationem conveniunt aliquo modo. Et sunt diversi. Igitur oportet quod huiusmodi convenientia vel diversitas sit ⟨res⟩ alia ab eis. Maior manifesta est. Non enim est dubium quin sint ⟨res⟩ diverse. Sed etiam dico quod sunt aliquo modo convenientes, etiam ante operationem anime, quia ducunt ad unum conceptum communem, scilicet 'animalis', ad quem non possunt ducere asinus et planta. Et hoc non esset nisi asinus et homo ex natura rei magis convenirent quam asinus et planta. Igitur ex natura rei aliquo modo conveniunt cum hoc quod sint diversi.

669 Sed tunc declaro minorem quod sua convenientia non est idem quod sua diversitas quando ad alium conceptum ducunt homo et asinus secundum suam convenientiam et ad alium secundum suam diversitatem nam: Homo et asinus per suam convenientiam ducunt ad

unum conceptum communem; scilicet 'animalis'. Sed per suam diversitatem ducunt ad diversos conceptus specificos a quibus sumuntur isti termini 'homo' et 'asinus'. Cum ergo isti conceptus sint diversi et non potest dici unde oriatur eorum diversitas nisi ex diversitate in obiectis, sequitur quod in obiectis, scilicet in asino et in homine, non est idem eorum convenientia et eorum diversitas. Verum est quod in alio libro illa diversitas tractabitur, scilicet unde oriatur diversitas conceptuum generalium et specificorum, cum sit eadem res extra. Et ideo ista ratio dimittetur insoluta usque ad alium librum.

670 Tunc arguitur aliter. Posito quod Sor et Plato sint similes, ista similitudo est quedam convenientia ipsorum. Et tamen illa similitudo non est Sor neque Plato, ymo res addita, scilicet qualitas secundum quam sunt similes. Igitur convenientia rerum est addita istis rebus convenientibus.

671 Item. Sor preter operationem anime est diversus a Platone. Et non est diversus nisi diversitate. Igitur ista diversitas est preter operationem ⟨anime⟩. Igitur ista diversitas est Sor, vel Plato, vel res eis addita preter animam. Sed probo quod illa diversitas non sit Sor vel Plato; et tunc concludetur propositum. Probo ergo quod diversitas qua Sor est diversus a Platone, non est Sor. Primo quia: Diversitas est quedam relatio. Et Sor non est relatio. ⟨Igitur⟩. Secundo quia: Sor erit, licet Plato corrumpatur. Et tamen diversitas Sortis ad Platonem amplius non erit Sor-diversus-a-Platone, cum diversitas non sit nisi inter entia, ut dicetur in septimo. Igitur si sit Sor, tunc erit et diversitas eius ad Platonem et erit ista diversitas non-est-Sor.

672 Similiter arguitur quod Sor non | est idem quod ipsum esse diversum a Platone quia: Sorti accidit esse diversum a Platone. Et tamen Sorti non accidit Sor. Igitur Sortem esse diversum est dispositio sibi addita. E37ra

673 IN OPPOSITUM arguitur quia: Ydemptitas et diversitas opponuntur; et si unum oppositorum est per animam, alterum debet esse per animam, eoquod apta nata sunt fieri circa idem. Modo ydemptitas est relatio per animam prout intellectus utitur uni modo termino ut duobus, ut dicit[1] Aristotiles in illo quinto. Igitur similiter diversitas est relatio per animam, et non res addita preter animam rebus diversis. Item. Deus est diversus a te. Et nichil est sibi additum, ut apparebit in duodecimo. Et sic⟨ut⟩ potest salvari de Deo quod sit diversus sine addito, ita poterit hoc salvari de omnibus aliis.

25 et] non *E* 37 de deo] dicendo *E*

1 *Metaph.* v 9, 1018a9.

SOLVITUR QUESTIO

674 Respondendum est ad questionem quod res alique possunt dici convenientes aut disconvenientes dupliciter. Uno modo primo et secundum se et non per hoc quod alie res sibi attribute sint convenientes vel disconvenientes. Alio modo res dicuntur convenientes vel disconvenientes non primo neque secundum se, sed ex eo quod alie res sibi attribute sunt convenientes vel disconvenientes. Verbi gratia. Similitudo est quedam disconvenientia. Et sic lapis albus et equus cum dicantur similes, possunt dici quodammodo convenientes, ymo propter hoc quod albedines sibi inherentes sunt convenientes. Sed si Sor est diversus a Platone substantialiter, hoc non est ex eo quod alie res sibi attribute sunt diverse, ymo omnibus aliis circumscriptis, adhuc essent diversi. Ideo possunt dici diversi primo et secundum se.

675 Et tunc faciliter respondetur ad questionem quoniam convenientie et diversitates rerum secundum seipsas non sunt res distincte, ⟨nisi⟩ preter animam, ab istis convenientibus vel diversis. Et hoc probat ratio de Intelligentiis. Intelligentie enim sunt diverse abinvicem, et cum hoc Intelligentie ex natura rei sunt quodammodo convenientes, quia plus convenit una Intelligentia cum altera quam cum prima materia. Et tamen secundum Aristotilem[1] in tertiodecimo huius Intelligentie non sunt aliqua accidentia eis addita.

676 Item. Si Sor de novo generaretur, quodlibet aliorum entium sit diversum ab eo quod non ante erat diversum ab eo, et iam est diversum ab eo. Et tamen non est credendum quod propter generationem Sortis debeat in quolibet alio generari dispositio addita.

677 Alia conclusio ponitur quod convenientie et diversitates attribute rebus ⟨secundum seipsas⟩ et non propter convenientam aliarum rerum sunt bene dispositiones addite illis rebus. Quibus | sic duplici modo E37rb
respondetur. Verbi gratia, similitudo Sortis ad Platonem est propter convenientiam qualitatum et ista similitudo est res addita Sorti, quia est ista qualitas. Ita etiam si magnitudo ponatur distincta a substantia et Sor ponatur equalis Sorti, ista qualitas est dispositio addita, quia est magnitudo. Sed bene verum est quod illa similitudo non est res addita qualitatibus. Ymo si Sor secundum albedinem sit similis Platoni, credendum est quod similitudo qua est similis, non est aliud quam sua albedo.

1 *Metaph.* XIII 4, 1079a27–28.

678 Dubitatur pro quo supponat hoc totum, scilicet 'diversitas Sortis ad Platonem'. Aliqui dicunt quod supponat pro Sorte et Platone simul. Ideo si corrumpatur Sor sive corrumpatur Plato, non amplius erit diversitas Sortis ad Platonem.

679 Credo tamen quod illa opinio non sit vera. Ymo credo quod supponat solum pro Sorte, appellando Platonem, ita quod hec est vera 'Diversitas Sortis ad Platonem est Sor', quia si huiusmodi diversitas esset Sor et Plato simul, tunc idem esset diversitas Sortis ad Platonem et diversitas Platonis ad Sortem, quoniam utraque esset Sor et Plato. Sed hoc non videtur esse verum, quia pari ratione ita esset de aliis relativis, scilicet quod paternitas Sortis ad Platonem esset Sor et Plato simul. Et tunc idem esset paternitas et filiatio, et servitus et ⟨dominium, et⟩ dimidium et dimideitas. Quod totum videtur falsum. Ymo etiam non videtur esse aliud paternitas quam esse patrem nec dimideitas quam esse dimidium. Et secundum istam opinionem paternitas Sortis ad Platonem esset Sor et Plato simul; et sic de dimidio et duplo. Ergo sequeretur quod esset idem esse patrem et esse filium, esse duplum et esse dimidium, quod apparet totum falsum.

680 Ideo videtur dicendum quod diversitas Sortis ad Platonem est Sor, et diversitas Platonis ad Sortem est Plato. Et ita non est eadem diversitas Sortis ad Platonem et econverso. Et sic est dicere quod Sortem esse diversum a Platone non est nisi Sor.

Ad rationes

681 Ad rationes. Prima erat de alia questione, secunda reservabitur ad alium librum. Tertia ratio bene arguit quod similitudo est res addita rebus similibus, quia res non dicuntur similes ex eo quod quod primo et secundum se conveniunt, sed ex eo quod sue qualitates conveniunt.

682 Ad aliam concedo quod diversitas Sortis ad Platonem est preter animam. Sed illa non est nisi Sor. Et quando arguitur contra: ista diversitas non est nisi quedam relatio, nego, quia relationes non sunt nisi isti termini relativi, et principaliter termini mentales secundum quos anima comparat hoc ad illud. Concedo enim quod ille terminus 'diversitas' est quedam relatio. Sed ille terminus 'diversitas' non est diversitas Sortis | ad Platonem. E37va

683 Ad aliam ⟨quando dicitur quod⟩ Sor adhuc esset licet Plato corrumperetur, concedo. Et ⟨quando⟩ tu dicis quod ista diversitas amplius ⟨non erit⟩, nego, ymo etiam, sed non erit amplius diversitas Sortis ad Platonem. Unde conceditur quod diversitas Sortis erit ad Platonem etiam quando non erit diversitas Sortis ad Platonem, sicut iste scribens erit quando ipse non ⟨est⟩ scribens.

684 Ad aliam dico quod Sortem esse diversum a Platone est ipse Sor, et non aliud. ⟨Et quando tu⟩ probas quod non, quia Sorti accidit esse diversum a Platone, dico quod verum est ad istum sensum quod hec est per accidens vera 'Sor est diversus a Platone'. Sed non est verum ad istum sensum quod illa res que est *esse diversum a Platone* accidit Sorti. Igitur ratio non valuit. Sequitur questio.

QUESTIO 28A: *UTRUM CAUSALITATES ET DEPENDENTIE EFFECTUUM EX CAUSIS SUIS SINT RES ADDITE ILLIS CAUSIS ET ISTIS EFFECTIBUS*

685 Utrum causalitates et dependentie effectuum ex causis suis sint res addite illis causis et istis effectibus. Arguitur quod sic. Semper fuit Deus. Et tamen non semper fuit Deum esse causam Sortis. Igitur aliud est Deum esse et Deum esse causam Sortis. Quod non esset verum nisi causalitas ista esset alia a Deo et sibi addita.

686 Item. Deus est semper necessarius. Et Deum esse causam Sortis non est necessarium, ymo purum contingens. Igitur non est idem Deum esse causam Sortis et Deus vel Deum esse. Et sic concluditur (sicut prius) quod ista causalitas sit res distincta.

687 Sed aliqui respondent quod *Deum esse causam Sortis* et *Sortem esse causatum* est idem. Sed tunc pari ratione esset ista de aliis relativis: esset idem esse dominum et esse servum, esse duplum et esse dimidium etc. Et omnia ista sunt absurda. Igitur ista responsio non valet, et credo eam non valere.

688 Alii respondent quod Deum esse causam Sortis nec est Sor nec Deus nec ambo simul nec dispositio eis addita preter animam, ymo est una propositio, ita quod hoc totum 'Deum esse causam Sortis' supponit pro illa propositione 'Deus est causa Sortis', et non pro aliquo alio. Sed adhuc illa responsio non videtur esse de intentione Aristotilis, quia de intentione Aristotilis est quod esse album est esse coloratum, et secare est agere, et quod tales predicationes sunt essentiales sive quiditative. Ideo etiam Sortem esse album est Sortem esse coloratum. Quod non esset ita, si 'Sortem esse album' supponeret pro eadem propositione, quoniam ista propositio 'Sor est albus' non est illa propositio 'Sor est coloratus'. Modo si Sortem esse album non supponit pro una propositione nec est propositio, pari ratione Deum esse causam non est una propositio. Ideo talis reponsio nichil | valet. E37vb

689 Sed non potest dici quod *Deum esse causam Sortis* nichil sit sicut chimera nichil est, quoniam tunc sicut ista est falsa 'Chymera est chymera' propter hoc quod chymera nichil est, ita hec esset falsa

'Deum esse causam Sortis est Deum esse causam Sortis est dispositio addita Deo', cum nec nichil ⟨sit⟩ nec sit propositio nec sit Deus nec ambo simul. Igitur.

690 OPPOSITUM arguitur quia: Deo nichil est additum, ut patebit in duodecimo, quia hoc derogaret sue simplicitati.

SOLVITUR QUESTIO

691 Ista questio est difficilis valde propter aliquos casus quos ex fide tenemus. Et ista esset ita difficilis secundum Aristotilem. Tamen indubitanter pono quod causalitas Dei super alias res vel *Deum esse causam aliarum rerum* non est aliqua res vel dispositio addita in Deo, quia, sicut dicebatur, Deus est sic summe simplex quod nichil est in Deo quod non sit Deus. Similiter pono quod dependentie rerum ab ipso Deo vel *alias res dependere ab ipso Deo* non est aliquod additum istis rebus dependentibus. Et sic secundo *Politicorum* hoc etiam apparet de intentione Aristotilis, qui ponit Intelligentias dependere in esse suo a Deo. Et tamen possunt sic esse simplices quod nulla sit in eis dispositio addita. Et manifestum est quod Deum esse causam Sortis potest salvari sine causalitate addita Deo, nam Sortem esse effectum Dei potest salvari sine effectuatione addita Sorti. Et tunc oportet in eodem multiplicare in infinitum dependentias additas, quod est absurdum. Et patet consequentia, sumendo primam Intelligentiam post Deum. Si enim ista Intelligentia dependet a Deo per dependentiam additam, tunc ista dependentia addita iterum dependet a Deo. Vel si non, tunc oportet quod dependeret a seipsa ista dependentia. Et tunc pari ratione poterat hoc dici de Intelligentia. Si vero ista dependentia dependet per aliam dependentiam, procedetur in infinitum.

692 Et quia aliqui dicunt quod illa dependentia dependet seipsa a Deo et non mediate, cum sit absoluta ab eo, declaro quod hoc sit impossibile, quia tunc sequeretur quod illa dependentia esset in mediatione ipsi Deo et immediatius a Deo quam ipsa Intelligentia. Sed hoc est falsum. Igitur. Falsitas manifesta est, quia scilicet ista dependentia, si ponatur addita, esset accidens ipsius Intelligentie, ideo posterior. Sed consequentia principalis | patet ex hoc quia: Quod convenit alicui per E38ra seipsum, per prius convenit sibi quam si conveniat sibi per alterum. Modo Intelligentia est a Deo et dependet a Deo per alterum, scilicet

14 politicorum] po-orum *E*; an *Metaph.* XII 7, 1072b15–30?

per istam dependentiam et illa dependentia esset a Deo et dependeret ab ipso seipsa. Igitur per prius et immediatius.

693 Item. Deus per suam omnipotentiam non posset facere quod Intelligentia esset et non dependeret ab ipso. Igitur ibi non est dependentia addita, quia omnes res alias abinvicem Deus posset separare et unam annichilare aliam reservando.

De quadam difficultate circa radium solis

694 Sed sunt tres difficultates. Prima est quia radius solis dependet in esse et conservatur a sole. Et tunc est dubitatio utrum huiusmodi dependentia sit res sive dispositio addita isti radio. Et credo quod Aristotiles dixisset quod non. Sed difficultas est ex fide, quia Deus posset istum radium conservare sine sole aut aliquo alio lucido. Et ideo etiam Deus posset istum radium conservare et cum hoc solem; et in eodem situ invicem in quo sunt invicem in quo sunt, absque hoc quod ille radius dependet a sole, sed quod solum dependeret a Deo. Ex quo sequitur quod sol et ille radius adhuc in situ in quo sunt, sufficiunt ad hoc quod radius dependeat a sole. Igitur ad hoc quod dependeat exigitur ulterior dispositio.

695 Confirmatur quia: Si ante ille radius dependebat a sole et nunc per potentiam divinam absolvitur ab huiusmodi dependentia, ita quod nunc non dependet a sole, oportet quod sit facta aliqualiter mutatio in re, quoniam contradictorie non verificantur successive sine mutatione in rebus significatis vel connotatis de aliquo. Et tamen verificantur ille contradictorie successive de eodem, scilicet 'Ille radius dependet a sole' et 'Ille radius non dependet a sole'. Igitur facta est mutatio. Non in Deo, quia est immutabilis. Nec in essentia radii, quia ⟨est⟩ idem ut ante. Nec, pari ratione, in essentia solis. Igitur huiusmodi mutatio facta est secundum aliquam aliam dispositionem. Et sic habetur propositum. Modo Aristotiles solvet, hoc totum negando quod Deus posset istum radium conservare sine dependentia a sole vel ab aliquo lucido.

De quadam difficultate circa materiam ac formam vel subiectum atque accidens

696 Secunda difficultas est consimilis de materia et de forma, vel de subiecto et accidente. Forma enim est causa materie ex eo quod sibi inheret, et materia est causa forme eoquod est subiecta sibi. Modo videtur quod huiusmodi inherentia sit dispositio addita, quia Deus potest etiam absolvere formam ab huiusmodi | inherentia et conservare formam et materiam absque hoc quod hec inhereat illi. Pono E38rb

ergo casum quod hec forma isti materie prius inherebat et modo non inhereret. Tunc mutatio facta est. Non in Deo; nec in esse materie vel forme, quia utraque manet eadem. Igitur in alia dispositione. Et habetur propositum.

697 Sed aliqui dicunt quod mutatio localis esset facta, per quam hec forma removetur ab illa materia. Contra. Pono quod maneant in eodem situ sicut ante. Tamen non propter hoc sequitur quod hec isti inheret. Quod apparet de sacramento altaris. Nam simul sunt indistanter corpus Christi et accidentia hostie, et tamen ista accidentia non inherent corpori Christi. Et sic apparet quod ad inherentiam non sufficiunt subiectum et accidens vel materia et forma cum simul existentia ipsorum. Igitur Deus poterat absolvere formam a materia sine locali mutatione. Igitur oportebat mutationem esse secundum aliquam dispositionem.

698 Sed Aristotiles statim solveret, quia propter illas rationes ipse ⟨dicit⟩[1] in octavo huius quod forma est inseparabilis a materia per quamcumque potentiam, et accidens a subiecto, nisi corrumpatur. Et ideo forma inheret materie per seipsam, non per aliquam dispositionem. Et non videbo bene quomodo rationes solverentur nisi secundum dispositiones, tenendo ea que secundum fidem dicta sunt, unde Aristotiles in octavo huius determinat[2] expresse quod si talia essent separabilia, oportet assignare aliam causam unionis. De qua antiqui dubitaverunt. Unde antiqui dixerunt[3] animam et corpus fieri unum per aliquam dispositionem, quam aliqui vocaverunt inherentiam, alii coexistentiam, alii communionem, et alii esse animatum. Et ita, si paries est albus, dicebant quod si est paries et albedo et esse album, et quod ista uniuntur. Et non apparet michi quanto valet illa dicere. Et illa dispositio addita secundum quamcumque potentiam non esset separatim conservari preter materiam illam et formam.

De quadam difficultate circa unionem partium per continuitatem

699 Unde sicut plures theologi tenent relationes reales preter animam additas rebus habentibus habitudinem adinvicem, ultima dubitatio est de unione partium per continuitatem. Sicut enim dubitatur utrum materia et forma unirentur per inherentiam additam, idest per dispositionem additam, ita dubitatur utrum partes continui sunt adinvicem unite et

1 *Metaph*. VIII 1, 1042a25–32.
2 *Metaph*. VIII 6, 1045b7–16.
3 Cfr. *Metaph*. VIII 6, 1045b8–12.

continue per dispositionem additam. Et videtur quod sic quia: Lapis continuus potest frangi et postea partes possunt adinvicem reconiungi secundum eundem situm quem ante habebant. Et hee non continuabuntur sed solum erunt adinvicem | contigue. Et sic aliter se habent, E38va
quia ante erant continue et nunc non sunt ⟨nisi⟩ contigue. Et tamen non aliter se habent ⟨secundum⟩ substantiam, quia manet in hiis substantia que ante erat. Nichil enim propter divisionem corruptum est substantialiter; similiter nichil appositum est de magnitudine nec ablatum. Et sic etiam de qualitatibus, puta de albedine, nigredine, et sic de aliis. Nec ille partes aliter se habent secundum situm. Ideo ultra hec oporteret ponere aliquam dispositionem secundum quam partes aliter se habent adinvicem. Et propter ⟨illam⟩ rationem multi crediderunt quod oportet dare superficies habentes longitudines et latitudines sine profunditate.

700 Unde si hoc poneretur, statim ratio solveretur dicendo quod partes continui sunt adinvicem contigue, propter hoc ⟨quod⟩ est una superficies terminans utramque partem. Sed si discontinuarentur, corrumpitur ista superficies, quamvis et generantur alie due, scilicet in qualibet parte una. Ideo si recontinuentur et non corrumpantur ille due superficies, non erit continuitas, sed contiguitas, quia contigua debent habere eundem terminum communem. Diceretur ergo quod partes continuantur per dispositionem diversam ab eis, scilicet per superficiem, que non est corpus vel partes corporis.

701 Tamen responsio non videtur michi bona, quia in libro *Phisicorum* credo fuisse probatum[1] quod punctum non sit res alia a linea, nec linea res alia a superficie, nec superficies a corpore; et quod nullum est punctum quod sit res indivisibilis, nec est linea que sit indivisibilis secundum latitudinem et profunditatem. Et per consequens pari ratione sequitur quod nulla est superficies que sit res indivisibilis secundum profunditatem.

702 Ideo alii dicunt quod partes predicte aliter se habent quam ante, non quod ibi sit res addita, sed quia fuit motus localis per quem separabantur, qui erat res addita. Sed hoc non videtur sufficere, quia ille motus transivit. Ideo amplius non est. Ideo si aliter se habeat quam ante, igitur oportet quod sit per aliquam dispositionem ablatam que ante erat, vel per aliquam que ante non erat. Et sic semper remanebit propositum.

703 Item. Quod natura facit per motum localem Deus posset facere sine motu locali. Et ideo ponitur quod ⟨si⟩ partes corporis adinvicem

1 *Physica* IV 8, 215b18; VI 1, 231a24; 10, 241a3.

continuas Deus faciat contiguas absque continuitate non movendo eas localiter, constat quod mutatio facta est, et non secundum situm nec secundum substantiam rei vel magnitudinis, quia tanta est magnitudo partium quanta erat ante. Igitur mutatio facta est secundum dispositionem aliquam.

704 Credo quod Aristotiles respondisset quod quedam corpora ex sua natura | habent quod sint continua nec discontinuari possunt sive E38vb dividi, sicut sunt corpora celestia. Ideo ⟨in⟩ illis ista ratio non habet locum. Illa etiam sunt corpora diversarum rationum intantum quod ex naturis suis repugnat sibi quod continuantur adinvicem, sicut lapis et lignum vel aer et aqua. Alia sunt corpora consimilis rationis generabilia et corruptibilia. Et illa si sint invicem continua, possunt dividi. Et in istis habet locum ratio prius facta.

705 Sed Aristotiles diceret quod corpora eiusdem rationis si sint flexibilia et coniungantur sine corpore medio, statim sunt continua et non possunt remanere contigua sine continuitate. Sic enim aqua statim continuatur aque et aer aeri. Alia sunt corpora consolidata et glutinata. Et ista non possunt adinvicem continuari si sint discontigua, nisi reducantur ad fluxitatem.

706 Sed cum dicitur: 'Unde est ergo quod partes lapidis solidi ⟨franguntur⟩ et dividuntur?', tunc continuo diceretur quod continuitas ⟨que⟩ proveniebat ex sua generatione, (in qua concurrebat aliqua humiditas fluens et continuans, que postea consolidatur et coagulatur fortiter), ne⟨c⟩ cito corrumpitur nec remanet sufficiens ad continuandum de novo. Et sic partes lapidis ante divisionem sunt adinvicem continue propter huiusmodi continuitatem que fit per illud humidum. Unde patet quod lapis sic potest per ignem desiccari quod pulverisatur propter destructionem humiditatis continuantis. Et sic si partes lapidis frangantur et recontiguentur, aliter se habet, non propter dispoitionem aliquam sed propter actus transactos, scilicet propter motum separantem. Et quia illa humiditas que erat continuata et que sufficiebat ad continuandum et ad detinendum partes, non est sufficiens ad uniendum, ideo solum propter hoc quod separate fuerunt, non possunt amplius se continuare.

De quadam solutione alternativa

707 Et si ista non sufficiant, tunc oportet dicere quod radius dependet a sole per dispositionem additam quam aliqui vocant significabile complexum quod est *radium dependere a sole*. Et sic forma inheret materie per hoc quod est *formam inherere materie*, vel per hoc quod est *inherentiam formatam esse*. Et sic de partibus continui.

708 Et illud significabile complexum non est talis res que possit separatim existere ab aliis rebus, neque per potentiam naturalem neque per divinam. Et si queratur utrum sit substantia vel accidens, responderem quod esset accidens. Et videtur quod esset relatio realis quam aliqui posuerunt.

Ad rationes principales

709 Ad rationes principales. | ⟨Ad primam⟩ diceretur quod Deum esse E39ra causam Sortis est ipse Deus. Et sicut ipse Deus semper fuit, ita Deum esse causam Sortis semper fuit, licet autem non semper fuit ista 'Deus est causa Sortis'. Nec sillogismus valet a parte predicati arguendo sic 'Heri fuit Sor; et heri non fuit albus; ideo non est idem albus et Sor'. Et ita est in proposito.

710 Ad aliam dico quod Deus est summe maius in essendo, et sic etiam causa Sortis cum sit Deus, est summe necessarius in essendo. Sed quando dicitur quod Deum esse causam Sortis est contingens, nego, nisi tu accipias istam orationem *Deum esse causam Sortis* secundum suppositionem materialem. Sic enim supponit pro ista propositione 'Deus est causa Sortis'. Sed capiendo istam orationem significative dico quod Deum esse causam Sortis est necessaria res.

19 res] Etc. 29 sequitur *add. E*

ABBREVIATIO CAMINENSIS METHAPHISICE

ARGUMENTUM

LIBER PRIMUS

QUESTIO 1a: Utrum methaphisica sit omnium habituum intellectivorum habitus dignissimus 1
QUESTIO 2a: Utrum omnes homines naturaliter scire desiderant 2–4
QUESTIO 3a: Utrum maxime debeamus diligere sensum visus inter ceteros sensus 5–6
QUESTIO 4a: Utrum ars et scientia fiant homini per experientiam 7–8
QUESTIO 5a: Utrum omnes actus et generationes fiunt circa singularia 9–10
QUESTIO 6a: Utrum methaphisica sit omnium scientiarum scientia certissima 11–12
QUESTIO 7a: Utrum de rebus sit nobis certa comprehensio veritatis 13–15
QUESTIO 8a: Utrum possimus intelligere Primam Causam 16–18

LIBER SECUNDUS

QUESTIO 9a: Utrum ad methaphisicum spectat demonstrare statum in causis 19
QUESTIO 10a: Utrum in causis sit processus in infinitum, vel quod sit devenire ad Primam Causam 20–22

LIBER QUARTUS

QUESTIO 11a: Utrum ens est subiectum proprium methaphisice 23–24
QUESTIO 12a: Utrum omnes habitus intellectuales sint eiusdem speciei specialissime 25–27
QUESTIO 13a: Utrum methaphisica sit una scientia 28–30
QUESTIO 14a: Utrum ens et unum sunt idem convertibiliter et essentialiter 31–32
QUESTIO 15a: Utrum in quolibet ente est idem esse et essentia 33
QUESTIO 16a: Utrum esse et essentia differunt secundum rationem 34
QUESTIO 17a: Utrum possit esse unus conceptus communis substantiis et accidentibus 35–36

QUESTIO 18a: Utrum negationes sunt entia 37–39
QUESTIO 19a: Utrum unum et multa opponuntur adinvicem 40–41
QUESTIO 20a: Utrum circa primum principium contingit errare 42–43
QUESTIO 21a: Utrum contradictio est maxima oppositio 44
QUESTIO 22a: Utrum ista propositio sit primum principium complexum, scilicet simul inesse et non inesse eidem videtur impossibile 45–51
QUESTIO 23a: Utrum aliquod nomen significat infinita 52–54

LIBER QUINTUS

QUESTIO 24a: Utrum sunt quatuor genera causarum, non plura neque pauciora 55
QUESTIO 25a: Utrum diffinitio elementi sit bona qua dicitur 'Elementum est ex quo aliquid componitur primo inexistente indivisibili specie in aliam speciem' 56–58
QUESTIO 26a: Utrum continuum sit per se unum 59–63
QUESTIO 27a: Utrum bene dividatur unum in unum numero et in unum genere, unum specie et unum analogia, *et cum hoc* Utrum bene describat ⟨Aristotiles⟩ membra dicte divisionis 64–66
QUESTIO 28a: Utrum ens bene dividitur in ens secundum se et in ens secundum accidens 67
QUESTIO 29a: Utrum propositio ex eo est impossibilis quod sua contradictoria de necessitate est vera 68–69
QUESTIO 30a: Utrum relativa secundi modi qui positi sunt in litera, scilicet calefactivi ad calefactibile et siccativi ad siccabile, sunt in predicamento Ad aliquid, vel in uno alio predicamento 70–71
QUESTIO 31a: Utrum relativa tertii modi referantur adinvicem uniformiter, sic quod unum dicatur convertibiliter ad aliud et econverso 72–73
QUESTIO 32a: Utrum propinquitas vel distantia sint res differentes a re distante vel re propinqua 74
QUESTIO 33a: Utrum convenientie et diversitates rerum adinvicem sint res addite preter animam rebus convenientibus vel diversis 75–77
QUESTIO 34a: Utrum causalitates et dependentie effectuum ex causis suis sint res addite illis causis et istis effectibus 78

LIBER SEXTUS

QUESTIO 35a: Utrum philosophia speculativa bene dividitur in phisicam, mathematicam et methaphisicam 79–81
QUESTIO 36a: Utrum de ente per accidens potest esse scientia: 82–83
QUESTIO 37a: Utrum ens per accidens habeat causam per se 84–85
QUESTIO 38a: Utrum omne futurum de necessitate eveniet 86

QUESTIO 39a: Utrum omne verum vel falsum est secundum compositionem vel secundum divisionem in mente 87–89
QUESTIO 40a: Utrum ad veritatem affirmative requiritur compositio in re significata sive in rebus significatis, et ad veritatem negative requiritur divisio rei significate vel rerum significatarum 90–91
QUESTIO 41a: Utrum propositio ex eo dicitur vera quia qualitercumque significat, ita est in re vel in rebus significatis 92
QUESTIO 42a: Utrum ens per accidens et ens ut verum debeant abici a consideratione methaphisici 93

LIBER SEPTIMUS

QUESTIO 43a: Utrum substantia sit prior accidente ratione (idest diffinitione), natura et tempore 94–96
QUESTIO 44a: Utrum forma sit prior et magis ens vel magis substantia quam materia et compositum 97–98
QUESTIO 45a: Utrum in dictis secundum accidens sit idem iustum et iustum esse vel sit idem album et album esse, et sic de aliis accidentibus 99–101
QUESTIO 46a: Utrum in dictis secundum se sit idem ipsum et esse ipsum 102
QUESTIO 47a: Utrum accidentis possit esse diffinitio 103–104
QUESTIO 48a: Utrum termini accidentales debeant diffiniri per sua subiecta 105–106
QUESTIO 49a: Utrum materia fit, vel forma fit, vel compositum fit 107–108
QUESTIO 50a: Utrum omne quod fit, fiat ab agente sibi simili 109–110
QUESTIO 51a: Utrum propter generationem substantiarum sensibilium necesse est ponere substantias separatas 111–112
QUESTIO 52a: Utrum in diffinitione totius debent poni partes materiales 113–115
QUESTIO 53a: Utrum in diffinitione totius debent poni partes formales 116–117
QUESTIO 54a: Utrum forma substantie materialis sit tota quiditas eius 118
QUESTIO 55a: Utrum nomina que sunt genera, differentie vel species, significant formam tantum, vel compositum ex materia et forma 119
QUESTIO 56a: Utrum in eodem supposito (puta in Sorte) oportet esse plures formas substantiales correspondentes pluribus predicatis quiditativis subordinatis 120
QUESTIO 57a: Utrum universalia sint separata a singularibus 121–122
QUESTIO 58a: Utrum universalia sint distincta a singularibus 123
QUESTIO 59a: Utrum in substantiis species contrahitur ad individuum per differentiam substantialem vel per differentiam accidentalem 124–125
QUESTIO 60a: Utrum singulare potest diffiniri 126–128

QUESTIO 61a: Utrum isti termini significent idem convertibiliter, scilicet 'unum in numero', 'hoc aliquid', 'individuum' et 'singulare' 129
QUESTIO 62a: Utrum possibile est aliquam rem cognoscere singulariter sine eius sensatione 130
QUESTIO 63a: Utrum *questio quid est* habeat locum in simplicibus 131–132

LIBER OCTAVUS

QUESTIO 64a: Utrum celum habeat materiam substantialem inherentem ei 133

LIBER NONUS

QUESTIO 65a: Utrum possibile est idem agere in se vel pati a seipso 134–136
QUESTIO 66a: Utrum actus et potentia opponuntur 137
QUESTIO 67a: Utrum aliqua potentia irrationalis sit eadem oppositorum 138–144
QUESTIO 68a: Utrum ista differentia inter potentias rationales et irrationales sit bene assignata, scilicet quod potentia rationalis est eadem oppositorum, potentia vero irrationalis non, sed est una unius tantum factiva 145–147
QUESTIO 69a: Utrum omne quod aliquis faciet, ipse potest facere, et omne quod fiet, potest fieri; similiter de aliis modis loquendi quantum ad posse 148
QUESTIO 70a: Utrum actus sit prior potentia secundum rationem, idest secundum diffinitionem 149–152
QUESTIO 71a: Utrum actus sit prior potentia secundum tempus 153–157
QUESTIO 72a: Utrum actus sit prior potentia secundum substantiam et perfectionem 158–159

LIBER DECIMUS

QUESTIO 73a: Utrum omne mensurabile mensuratur uno 160–163
QUESTIO 74a: Utrum diffinitio contrarietatis quam assignat Aristotiles in isto decimo libro, sit bona in qua dicitur quod contrarietas est differentia maxima, vel etiam quod contrarietas est differentia perfecta 164–167
QUESTIO 75a: Utrum unum est uni tantum contrarium 168–169
QUESTIO 76a: Utrum prima contrarietas est habitus et privatio 170–174
QUESTIO 77a: Utrum omne corruptibile ab omni incorruptibili differt genere 175–178

LIBER DUODECIMUS

QUESTIO 78a: Utrum omnis multitudo in causatis proveniat ex multitudine agentium vel ex multitudine materiarum 179–185
QUESTIO 79a: Utrum substantiarum et accidentium eadem sunt principia 186
QUESTIO 80a: Utrum primus motor sit actus sive potentia 187
QUESTIO 81a: Utrum primus motor sit omnino simplex 188–189
QUESTIO 82a: Utrum eadem Intelligentia moveat idem mobile tamquam causa agens et tamquam causa finalis 190–192
QUESTIO 83a: Utrum fuit intentio Aristotilis et Commentatoris quod Deus moveat primum mobile active, vel quod solum moveat ipsum per modum cause finalis 193–194
QUESTIO 84a: Utrum celum secundum eius substantiam dependet a Deo tamquam a causa agente 195–196
QUESTIO 85a: Utrum Deus est delectatio et vita 197–199
QUESTIO 86a: Utrum quotquot sunt motus celestes, tot sunt Intelligentie, et econverso 200–201
QUESTIO 87a: Utrum in corporibus celestibus ponendi sunt epicicli 202
QUESTIO 88a: Utrum in celo ponendi sunt orbes ecentrici 203
QUESTIO 89a: Utrum secundum ordinem spherarum celestium in situ sit ordo earum in perfectione 204
QUESTIO 90a: Utrum Deus intelligit se et omnia alia a se 205–208
QUESTIO 91a: Utrum sit unus solus primus princeps 209.

SIGLA

C	codex Caminensis 38, nunc Warsawa, Biblioteka Narodowa II 8057 (c. annum 1432)
Cc	manus quae correxit *C*
]	scripsi
…	usque ad
⟨…⟩	supplevi
[…]	seclusi
?	fortasse
add.	addit
om.	omittit
coll.	collato (collata)

ABBREVIATIONES CAMINENSES IN ARIST. METAPHYSICAM

1 **Utrum methaphisica sit omnium habituum intellectivorum habitus dignissimus**. Solvitur prenotando quod hic omnino ⟨non⟩ loquimur de habitibus nobis supernaturaliter infusis, sed de illis ad quos possumus naturaliter pervenire. Tunc est conclusio quod questio sit vera. Probatur quia: Dignitas habitus attenditur penes preeminentias eius super alios habitus. Sed sapientia, que secundum Aristotilem est methaphisica, habet super alios habitus multas supereminentias, ut patet ex primo huius; ipsa enim est desiderabilissima, universalissima, difficillima, prudentissima, liberrima, divina, honestissima, admirabilissima. Item. Nobilior est habitus que considerat de nobilioribus rebus. Sed methaphisica est huiusmodi. Igitur. Minor quoad primam partem patet, quia methaphisica considerat de Deo et de Intelligentiis. Sed quoad secundam partem patet quia: Consideratio prudentie et politie non est nisi de actibus humanis. Et prudentia non precipit sapientie, sed bene precipit gratia sapientie, ut patet[1] sexto *Ethicorum*. Igitur etc. C194r

2 **Utrum omnes homines naturaliter scire desiderant**. Solvitur prenotando quod appetitus est inclinatio rei in suum bonum vel in apparens bonum. Et est duplex, scilicet naturalis et animalis. Naturalis est qui fit a natura absque cognitione mediante, sicut grave appetit locum deorsum. Sed animalis est qui fit mediante cognitione materie appetite et que aliter non fieret. Etiam possunt esse idem, sed secundum rationem distinguantur. Item. Animalis est duplex, scilicet sensualis et intellectualis. Et sepe sensualis contrariatur rationi.

3 Et ponuntur conclusiones. Prima: Omnis homo secundum naturam intellectualem appetit naturaliter scire. Probatur quia: Omnis natura inclinatur naturaliter in suam perfectionem. Sed scire est perfectio intellectus. Igitur. Item. Omnis natura naturaliter inclinatur in suam operationem. Sed propria operatio intellectus est scire et intelligere. Igitur etc. Secunda conclusio ⟨est⟩ quod omnis natura naturaliter appetit scire secundum partem sensualem sub ratione qua dicitur sensualis. Patet quia: Hoc non convenit ei. Et media etiam per que oportet devenire ad scire, sunt sepe sensui tristia. Igitur etc.

1 *Eth. Nicom.* VI 13, 1145a7–10.

4 Correlarium. Simpliciter et absolute loquendo homo appetit natu- C194v
raliter facere. Patet quia quod est homini conveniens secundum intellectum, debet dici simpliciter sibi conveniens et non quod convenit sibi secundum sensum, quia intellectus est principalior et nobilior sensu, ut patet[1] sexto *Ethicorum*. Preterea. Quod non omnes ⟨desiderant⟩ omnes scientias sed illi illas, alii alias, hoc non est ex parte intellectus, sed ex parte voluntatis vel appetitus animalis.

5 **Utrum maxime debeamus diligere sensum visus inter ceteros sensus**. Solvitur prenotando quod quanto aliquid est melius, tanto illud est magis diligendum. Sensus autem nostri sunt nobis causa duplicis commodi. Uno modo propter necessitates ad vitam nobis procurandas, alio modo propter cognitionem intellectivam, quia nichil possumus intelligere sine sensitiva cognitione previa.

6 Ideo ponuntur conclusiones. Prima: Sensus tactus est maxime diligendus propter necessitates vite procurandas, quia sine isto non possumus diu vivere et sine aliis possumus diu vivere. Igitur etc. Deinde gustus est melior, quia sine discretione alimenti convenientis non possumus diu vivere. Et postea visus, deinde auditus et ultimo olfactus. Secunda conclusio quod sensus visus ad cognitionem intellectivam quantum est per se es maxime diligendus. Probatur quia: Visus valde manifeste iudicat et distinguit et iudicat tam de corporibus inferioribus quam superioribus. Sed alii sensus non. Igitur etc. Tertia conclusio: Sensus auditus est ad cognitionem intellectivam utilior per accidens. Patet quia non solum per nos ipsos sed etiam per doctrinam aliorum possumus acquirere scientiam. Igitur etc. Quarta conclusio: Sensus visus est simpliciter melior et nobilior et magis diligendus propter bona anime, scilicet intellectualia, in quibus consistit humana felicitas sicut optima et magis diligenda. Et per consequens ista sunt magis diligenda et meliora que sunt istis bonis anime propinquiora et magis valentia ad bona anime, sicut est de sensu visus inter ceteros sensus, ut dictum fuit.

7 **Utrum ars et scientia fiant homini per experientiam**. Solvitur pre- C195r
notando differentiam inter sensum memoriam | et experimentum, idest inter cognitionem sensitivam et memorativam et cognitionem experimentalem. Cognitio sensitiva fit in presentia ipsius sensibilis moventis sensum, sed notitia memorativa est que habetur de aliquo prius sensato per speciem reservatam in virtute memorativa. Sed cognitio experimentalis dicitur de eo quod numquam fuit a te sensatum sed ⟨per⟩ quod similia fuerunt a te sensata. Verbi gratia, tu numquam

1 *Eth. Nicom.* VI 2, 1139a19–20.

tetigisti istum ignem et bene cognosti ipsum esse calidum, quia alios plures cognovisti per tactum esse calidos, de quibus deducta est tibi cognitio.

8 Et sic ponitur conclusio: Omnis ars et scientia fiunt per experientias. Probatur quia:

Aliqua principia eorum fiunt nobis credita propter primas experientias et memorias. Et per consequens multe sunt conclusiones incerte et scientie que fiunt nobis note non quandocumque ille proferuntur, sed per experientias. Igitur etc. Preterea. Nota quod duplex est ars. Quedam est ⟨usualis, quedam doctrinalis.⟩ Doctrinalis ⟨est⟩ que est a doctore acquiritur. Et ista est universalium, quia medicina non est scientia de uno experimento, sed de omnibus in generali. Sed usualis, ut fabrilis, bene est singularium.

9 **Utrum omnes actus et generationes fiunt circa singularia**. Solvitur prenotando quod in proposito per esse circa singularia intelligamus determinate se habere ad hoc ita quod non ad aliud, et quod ⟨per esse⟩ circa universalia intelligimus indifferenter se habere ad hoc et ad illud. Sed est notandum quod in proposito hec dictio 'circa' potest notare habitudinem actus sive actionis sive generationis ad agens vel ad passum. Alio modo ista dictio 'circa' potest notare habitudinem actus significativi vel representativi ad res significatas vel representatas.

10 Tunc ponuntur conclusiones. Prima: Omnis potentia ut est separata ab actu, est circa universalia et non circa singularia ad sensum prius dictum. Patet per inductionem. Nam potentia ignis calefactiva non est determinate ad hoc calefaciendum vel ad illud. Igitur etc. Secunda conclusio: Omnis actus, idest omnis actio vel generatio, est circa singularia et non circa universalia, prout ly 'circa' notat habitudinem ad agens vel ad passum. Patet inductive, quia actus scribendi quicumque potest signari, est determinate ab isto vel | ab alio et in isto pergamento. Similiter omnis actus sentiendi est determinate ab isto sensu vel ab isto et determinate ab isto obiecto vel ab isto causatus. Similiter est de intellectu. Tertia conclusio ⟨est⟩ quod actus intelligendi est bene circa universalia prout ly 'circa' denotat habitudinem ipsius ad res intellectas. Patet, quia habitus intelligendi a quo sumitur iste terminus 'equus', non est determinate huius equi, immo isto actu indifferenter intendo omnes equos. Igitur etc. Similiter est etiam de actu volendi, promittendi, appetendi. C195v

11 **Utrum methaphisica sit omnium scientiarum scientia certissima**. Solvitur prenotando quod certitudo preexigit veritatem. Nullus enim

8 scientie] sciis (!) *C* 14 generationes] operationes *C* 37 promittendi] pronuntiandi *C*

potest habere certitudinem de falso, quamvis valde firmiter assentiat ei et sine formidine ad oppositum. Et certitudo multipliciter accipitur. Uno modo scientia dicitur certa ⟨que⟩ arguitur ex parte rerum consideratarum propter earum firmitatem et immutabilitatem. Et sic methaphisica est certissima quia considerat de primis causis, que sunt firme et immutabiles. Secundo modo dicitur certa ex evidentia suorum principiorum. Et sic methaphisica est certissima quia est de primis principiis. Tertio modo scientia dicitur certa vel certior ex eo quod circa ea que considerat, relinquit pauciores dubitationes. Et sic scientia de aliquibus rebus descendens ad speciales rationes ipsarum est certior quam esset scientia de illis rebus sistens in rationibus communibus earum. Et sic methaphisica considerat de aliqua re *quod quid est* simpliciter, sive in communi sive in speciali, quia geometria non habet scire per geometriam, sed methaphisica. Et sic methaphisica est certissima.

12 Alio modo dicitur scientia certior a quo altera supponitur. Et sic iterum methaphisica dicitur certissima quia omnes scientie supponunt firmitatem et quiditates suorum principiorum a methaphisica. Et si methaphisica supponit aliqua ab aliis, hoc ⟨non⟩ est nisi quantum ad *quia est*. Alio modo dicitur certior quantum ad modum demonstrandi. Et sic methaphisica ponitur in primo ordine certitudinis. Ultimo propter facilitatem. Et sic alie scientie sunt certiores quam methaphisica.

13 **Utrum de rebus sit nobis certa comprehensio veritatis**. Solvitur C196r prenotando quod uno modo veritas est idem quod rei entitas. Et sic apud intellectum nostrum est dare veritatem incomplexam; de quo nichil ad propositum. Alia est veritas complexa, que nichil aliud est quam propositio vera mentalis. Ideo comprehensio veritatis potest sumi pro formatione huiusmodi propositionis vere. Alio modo pro assensu quo assentimus propositioni vere. Si primo modo, tunc ista comprehensio veritatis est nobis possibilis quia possumus formare tam propositionem veram quam falsam. Sed si secundo modo, adhuc ipsa est nobis possibilis, quia quilibet de facto assentit naturaliter pluribus propositionibus veris. Et talis certitudo assensus proprie loquendo requirit duo, scilicet firmitatem veritatis ⟨et firmitatem assensus. Dico firmitatem veritatis⟩, quia propositioni false non possumus cum certitudine assentire. Et si sit contingens, non possumus etiam esse certi de ea cum abfuit a sensu nostro.

14 Primo nota quod talis firmitas veritatis quedam est simpliciter ita quod nullo casu potest falsificari. Alia est secundum naturam, non

32 naturaliter] *Cc om. C* 33 requirit] acquirit *C*

tamen simpliciter. Et sic dicitur quod utroque modo firmitas veritatis est possibilis. Primo modo iste sunt firmiter vere 'Deus est', 'Deus est bonus'. Secundo modo iste sunt firmiter vere 'Celum movetur', 'Homo est'. Sed firmitas assensus potest esse tribus modis. Uno modo ex voluntate, alio modo ex assensu, tertio modo ex apparentia. Primo modo et secundo modo Christi fideles firmiter assentiunt dictis fidei. Sed tertio modo firmitas assensus est ex evidentia. Et evidentia est quando est talis apparentia quod sensus vel intellectus preter naturam suam potest illi assentire. Et hoc potest esse dupliciter. Uno modo simpliciter, secundo modo ex suppositione, scilicet quod non sit miraculum. Et iste sunt nobis satis possibiles, ut patet intuenti.

15 Tunc ponitur conclusio quod nobis est possibilis certa comprehensio veritatis, sive certa simpliciter sive certa ex conditione ita quod non occurrat miraculum, quia hec certitudo sufficit ad scientias naturales, quia sic naturales dicunt se scire cum certitudine et evidentia quod ex nichilo nichil fit, et quod impossibile est accidens esse sine subiecto.

16 **Utrum possimus intelligere Primam Causam**. Solvitur prenotando C196v quod in hoc non queritur de notitia que est post mortem, sed de notitia quam possumus in hac vita ex naturalibus acquirere nobis per studium et per rationem. Tunc fit conclusio quod possumus Deum intelligere cognitione *quia est*. Probatur quia: Multas conclusiones demonstrat Aristotiles quarum termini supponunt pro ipso Deo. Quod non esset possibile nisi cognosceremus Deum. Igitur etc. Item. Commentator arguit ⟨quod⟩ illud est a nobis intelligibile in cuius intellectione consistit humana felicitas. Sed hoc est in intellectione Dei, ut patet[1] decimo *Ethicorum*.

17 Secunda conclusio ⟨est⟩ quod si per cognitionem quiditativam intelligimus cognitionem intuitivam vel notitiam ex pluribus causis, que fit per presentiam obiecti sine discursu ex notitia previa, tunc contingit ⟨quod ex⟩ naturalibus non possumus Deum quiditative cognoscere; et notitia intuitiva est que fit per presentiam obiecti sine discursu ex notitia previa. Patet conclusio quia: Sic non possumus intelligere Deum, nam omnino ⟨non⟩ cadit sub sensu. Et ideo ad notitiam Dei oportet non devenire per discursum ex aliis notitiis. Quod est falsum. Igitur etc.

18 Tertia conclusio quod si per notitiam quiditativam intelligimus notitiam simpliciter, tunc non possumus quiditativam habere notitiam Dei. Patet conclusio, quia solus Deus cognoscit seipsum simpliciter et

17 primam] esse *perperam add. C*

1 *Eth. Nicom.* x 7, 1177a12–17.

perfecte, unde homo non habet in se aliquam ⟨notitiam⟩ simpliciter et perfecte nisi in suo genere.

19 **Utrum ad methaphisicum spectat demonstrare statum in causis**. Solvitur ponendo conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod ad phisicum ⟨spectat demonstrare⟩ Primum Motorem esse. Patet, quia hoc probatum est in septimo *Phisicorum* ubi ostenditur[1] quod non fit processus in infinitum in mobilibus et motis; et in octavo ubi ostenditur quod est devenire ad motorem immobilem. Secunda conclusio ⟨est⟩ quod naturalis non demonstrat Primam Causam esse. Patet, quia quamvis demonstret primum motorem esse, tamen ipse non potest scire per scientiam naturalem utrum iste primus motor sit Causa Prima, quia multi ponunt super omnes motores aliam causam que nichil movet active, sed que est finis gratia cuius primus motor et alii motores movebant. Ex quo sequitur quod ad methaphisicum, et non ad phisicum spectet Primam Causam demonstrare.

20 **Utrum in causis sit processus in infinitum, vel quod sit | devenire ad Primam Causam**. Solvitur prenotando quod quedam sunt cause per se, quedam per accidens. Et 'per se' duobus modis. Uno modo quod perseitas attenditur in predicando, alio modo in dependendo. Et in dependendo adhuc dupliciter: vel solum in fieri, vel solum in essendo. Et dicitur sic in essendo quod impossibile sit talem effectum esse eius ⟨nisi⟩ ab ista causa dependeat in esse. Et quando ita est, tunc vocamus causas essentialiter ordinatas. Si vero sit possibile ⟨quod⟩ fiat vel moveat sine tali causa, tunc causas et causata vocamus accidentaliter subordinatas. C197r

21 Et sic ponuntur conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod in causis quoad predicationem non est determinatum quot predicata per accidens predicantur de aliquo subiecto. Patet exemplariter quia possibile est quod domus fit a musico, ab albo, pravo, et sic de aliis. Et sic dicit[2] Aristotiles quod uni possunt infinita accidere. Et sic eiusdem sunt infinite cause per accidens. Secunda conclusio: Predicata talia per se de aliquo verificabilia sunt solum finita. Probatur de causa formali in littera quia: Predicata quiditativa sunt cause formales. Et ista sunt finita. Igitur etc. Item ratione quia: Si non, tunc nichil sciantur; quod est falsum, quia nichil perfecte scitur nisi omnes sue cause sciantur. Tertia conclusio ⟨est⟩ quod ⟨si⟩ in causis accidentaliter ordinatis in essendo secundum opinionem Aristotilis ponitur mundum esse perpetuum, concedendus

2 genere] circa secundum librum methaphisice queritur *add. C* 4 ponendo] prenotando *sic persaepe C*

1 *Physica* VII 1, 241b34 sqq.; VIII 6, 258b10 sqq.
2 *Physica* II 3.

est processus infinitus. Probatur quia: Sortes habuit patrem et pater Sortis iterum habuit patrem et sic sine statu. Igitur etc. Quarta: In causis essentialiter ordinatis non procedetur in infinitum. Probatur per Aristotilem dicentem in isto[1] quod in talibus causis posterior non potest agere vel esse sine prima, et etiam in secundo quod, infinitis existentibus causis, nulla est prima. Tunc arguitur sic. Si essent infinite, sequeretur quod nichil causaretur. Probatur quia: Si sunt infinite, tunc nulla est prima sed omnes intermedie. Modo si prima non movetur, tunc nulla alia (per primam suppositionem). Sed ista vere non est formalis sed materialis.

22 Nunc de causis non subordinatis fit prima conclusio quod infinite possunt esse cause eiusdem non subordinate. Patet, quia infinite sunt partes medie que possunt substare. Secunda conclusio: Impossibile est ⟨esse⟩ plures causas non subordinatas totales. Probatur quia: Vel essent eiusdem rationis adinvicem, et sic possent | continuari et constituere C197v unum infinitum; quod est falsum. Si essent diversarum rationum, tunc res non esset scienda. Igitur etc.

23 **Utrum ens est subiectum proprium methaphisice**. Solvitur prenotando quod subiectum alicuius scientie dicitur terminus communissimus in tali scientia consideratus qui cadit sub consideratione illius scientie. Secundo nota ⟨quod⟩ quando sunt duo termini de se invicem demonstrabiles et unus est absolutus et alter est connotativus (ut 'homo' et 'risibile'), tunc absolutus est subiectum, connotativus passio. Sed quando sunt duo termini quorum uterque est connotativus, tunc minus connotativus est subiectum et magis connotativus est passio, ut 'motus' et 'tempus', et 'tempus' addit super 'motum'.

24 Et sic ponitur conclusio quod ens est subiectum commune et ista scientia est communis, ut patet in prologo huius primi. Sed quando dicitur ens inquantum ens est subiectum methaphisice, ibi ly 'inquantum' capitur syncathegorematice, et valet tantum quantum 'ens sub communi sua ratione est subiectum methaphisice'. Sic aliquid, res, unum sunt subiectum huius scientie propter convertibilitatem. Sed ly 'unum' non est proprie subiectum, quia est terminus connotativus connotans individuationem. Sed passiones entis sunt idem, diversum, simile, dissimile, actus, potentia, causa et causatum. Et est ⟨'ens' terminus⟩ analogus, de quo bene est scientia, sed non equivocus.

25 **Utrum omnes habitus intellectuales sint eiusdem speciei specialissime**. Solvitur prenotando quod genera sunt termini significativi mentales, vocales vel scripti. Et nota quod differentia specie vel genere

1 *Metaph.* II 1, 993b25sqq.; 994a1–12.

intelliguntur tripliciter. Uno modo quod sunt diversa genera, ut isti termini 'qualitas' et 'quantitas'. Secundo modo quia sunt termini contenti sub diversis generibus, ut 'homo' et 'albedo'. Tertio modo quia significantur per diversa genera aut per terminos sub diversis generibus contentos. Et sic ista res homo et ista res albedo differunt genere. Similiter est dicendum de differentibus specie.

26 Et sic ponuntur conclusiones. Prima quod multi conceptus differunt abinvicem genere, – etiam genere generalissimo – primo et secundo dictorum modorum. Sed quia multi conceptus | sunt diversa C198r genera generalissima, scilicet illi a quibus sumuntur isti termini 'qualitas', 'quantitas', 'ad aliquid', et dicitur quod sunt diversarum specierum. De tertio fit conclusio: Omne ens significatur per diversas species, ymo per diversa genera generalissima, quia significatur per hanc speciem 'homo' vel per hanc speciem 'album' vel 'magnum' vel 'pater'. Sic omnes res de mundo possunt significari per talem speciem specialissimam, quia significantur per istum terminum 'idem' vel 'diversum', qui termini sunt species specialissime in predicamento Ad aliquid. Sed tamen sciendum ⟨quod⟩ quando dicimus hominem vel equum et albedinem et nigredinem non esse eiusdem speciei, hoc intelligitur de speciebus significantibus istas res quiditative sine aliqua connotatione.

27 Tunc fit conclusio quod multi conceptus et etiam multi habitus intellectuales differunt abinvicem secundum speciem, quia eorum rationes quiditative erant diverse. Igitur etc.

28 **Utrum methaphisica sit una scientia**, capiendo 'methaphisicam' pro aggregato ex omnibus conceptibus methaphisicalibus sive ex omnibus habitibus conclusionum methaphisicalium. Solvitur prenotando quod communiter nomen 'methaphisica' ⟨duobus modis sumitur⟩. Aliquando sumitur pro una sola conclusione vel habitu unius conclusionis; alio modo pro omnibus conclusionibus methaphisicalibus simul sumptis.

29 Tunc fit prima conclusio: Capiendo methaphisicam secundo modo, non est una scientia simpliciter. Probatur quia: Ex pluribus in actu existentibus quorum unum non est in potentia ad reliquum, non potest fieri unum simpliciter, ut patet secundo huius. Sed omnes conclusiones methaphisicales sunt in actu. Igitur etc. Secunda conclusio ⟨est⟩ quod methaphisica primo modo accepta est una scientia secundum ordinem vel attributionem, quia omnes tales conclusiones reducuntur ad unum principium, scilicet ad communem rationem entis aut substantie, sicut totus exercitus ad principem unum. Igitur etc.

8 generalissimo] *Cc om. C*

30 Notandum quod methaphisicus habet considerare de specialibus terminis diversarum scientiarum, sed aliter et aliter, ut geometricus, ut⟨rum⟩ triangulus sit equalis vel inequalis, et naturalis philosophus utrum sit agens vel patiens.

31 **Utrum ens et unum sunt idem convertibiliter et essentialiter**. Solvitur prenotando quod non intelligitur de convertibilitate rerum, sed terminorum quorum unus predicatur de altero et econverso; nec quod illi materialiter capiantur, sed significative et personaliter.

32 Et sic ponitur conclusio ista: Ens et unum proprie capta convertuntur adinvicem. Probatur. Omne ens est unum per propriam suam naturam. | Igitur etc. Antecedens probatur quia: Si ens est unum, hoc C198v est per propriam suam naturam, vel per aliud. Si primum, habetur propositum. Si per aliud, tunc queritur de illo alio, et sic proceditur in infinitum. Et notabiliter dicitur 'propriam', quia, ut patet secundo huius quod ens dicitur quoddam verum et ⟨quoddam⟩ non-ens, idest quod falsum est. Et aliquando dicimus unum genere, unum specie. Et tunc 'ens' et 'verum' ibi non capiuntur proprie sed methaforice. Notandum est etiam convertibiles terminos diversorum predicamentorum de se mutuo predicari.

33 **Utrum in quolibet ente est idem esse et essentia**. Solvitur ponendo conclusionem quod idem est *res* et *rem esse* et idem est *esse* et *essentia*. Probatur quia: Illud est rosa quod manet circumscriptis omnibus aliis accidentibus a rosa. Sed, circumscriptis omnibus accidentibus a rosa, manet rosa et rosam esse. Igitur etc. Minor patet quia adhuc est verum dicere quod rosa est rosa. Item. Per Commentatorem quia: ⟨*Rem*⟩ *esse* vel est seipsam esse vel aliquid additum. Si primum, habetur propositum. Si aliquid additum, tunc queretur similiter de isto, et sic esset processus in infinitum. Et tamen *rem esse* et *res* differre secundum conceptum vel rationem verum est, si rosa est in re. Sed si non est, tunc rosam esse nichil est.

34 **Utrum esse et essentia differunt secundum rationem**. Solvitur prenotando aliquas propositiones. Prima ⟨est⟩ quod esse ab essentia differt. Secunda: Esse non differt ab essentia. Tertia: Omne esse est essentia, et econverso. Quarta: Essentia differt ab esse, et econverso. Quinta: Ista de virtute sermonis est falsa 'Esse differt ab essentia secundum rationem', quia nichil differt a se secundum rationem. Sic intelligitur quod esse et essentia differunt sic quod terminus qui significat esse et terminus qui significat essentiam, habent diversas rationes, licet idem

14 notabiliter] notandum *C* 28 differre] differentia *C*

significent. Que diversitas provenit quia aliquando consideramus rem ea ratione qua est in prospectu et in presenti, et sic concipimus *esse*; alio modo consideramus rem, non considerando eam in prospectu nec in presenti, et sic concipimus essentiam, et non *esse*.

35 5 **Utrum possit esse unus conceptus communis substantiis et accidentibus**. Solvitur prenotando quod quidam sunt conceptus quiditativi, a quibus sumuntur hec nomina 'substantia', 'lapis' et sic de aliis; alii sunt connotativi, a quibus sumuntur hec nomina 'album', 'nigrum' et cuiuscumque predicamenti accidentalis.

36 10 Et sic ponuntur conclusiones. Prima | (secundum Aristotilem) ⟨est⟩ C199r quod substantie et accidentis potest esse unus et idem conceptus communis significans utrumque indifferenter. Patet quia iste conceptus a quo sumitur hoc nomen 'album' e⟨s⟩t connotativus et includit substantiam et accidens, quia album est substantia informata albedine. 15 Igitur etc. Secunda conclusio ⟨est⟩ quod substantie et accidentis non potest esse unus conceptus univocus et quiditativus. Probatur quia: Si sic, hoc maxime esset conceptus a quo sumuntur isti termini 'res', 'aliquid', 'ens' etc. nominaliter capta. Consequentia patet, quia ista sunt verissima predicata. Sed falsitas communiter probatur quia conceptus 20 'album' non est hoc quod est esse aliquid, sed est esse aliquale. Sic conceptus huius quod est tricubitum, non est esse aliquid, sed est esse aliquantum. Et sic conceditur ista 'Albedo est nichil' prout ly 'nichil' negat substantiam vel quantitatem per se, sed non prout negat quod esset entis vel ens secundum accidens.

37 25 **Utrum negationes sunt entia**. Solvitur prenotando quod negatio capitur multipliciter. Uno modo pro ista negatione in 'non' vel pro includente istam negationem 'non'; et sic patet quod negatio est aliquid. Alio modo capitur pro negatione infinitante, ut 'non-homo', '⟨'non-currit'; et sic iterum est aliquid, quia non-homo est asinus, leo vel 30 huiusmodi. Tertio modo pro tota propositione negativa.

38 Sed dubium est utrum aliquid vel aliqua sic ponuntur per propositiones. Tunc de affirmativa fit conclusio quod totale significatum propositionis affirmative vere est aliquid vel aliqua, ut istius 'Deum esse est Deus' et 'Hominem esse animal est homo', eoquod subiectum 35 et predicatum in omni propositione affirmativa supponunt pro eodem. Secunda conclusio: Nichil est totale significatum propositionis affirmative false, ut illius 'Homo est asinus'. Probatur. Vel hoc esset homo, vel asinus, vel ambo. Sed nullum illorum. Igitur etc. Minor probatur

8 connotativi] denotativi *C*

quia: Sublatis ambobus, adhuc ista esset vera 'Homo non est asinus', sed ista non est vera 'Homo est asinus'.

39 De negativis fit prima conclusio quod totale significatum propositionis negative ubi negatio negat, non est aliquid vel aliqua, ut istius 'Homo non est asinus'. Probatur quia: nec esset homo vel asinus, nec ambo; igitur etc. Secunda conclusio ⟨est⟩ quod totale significatum propositionis negative ubi est negatio infinitans, est aliquid vel aliqua, ut istius 'Homo est non-albus' vel 'Homo est non-asinus'. Probatur quia: Significat hominem esse aliud ab asino. Et hoc est aliquid, quia homo est risibilis. Igitur etc.

40 **Utrum unum et multa opponuntur adinvicem**. Solvitur prenotando quod isti termini 'unum' et 'multa' possunt capi materialiter vel personaliter. Quando capiuntur persomaliter, fit prima conclusio 'Unum opponitur multis'. Patet, quia una virtus opponitur duobus vitiis. Secunda conclusio ⟨est⟩ quod unum non opponitur multis. Patet, quia Deus est unus et nulli opponitur. Et iste bene stant simul, quia sunt subcontrarie. Tertia conclusio: Unum uni non opponitur, quia caritas caritati non opponitur; igitur etc. 199v

41 Sed illa dicta non sunt ad intentionem Aristotilis, sed Aristotiles capit predictos terminos materialiter. Tunc fit prima conclusio: Si unum et multa capiuntur difformiter, non opponuntur. Probatur quia: Hoc continuum est unum. Et tamen habet plures partes. Igitur etc. Secunda conclusio: Unum et multa opponuntur adinvicem, si capiuntur uniformiter. Patet, quia repugnat eis verificari de seinvicem vel de eodem, quia taliter capiendo numquam multa sunt unum, et econverso. Et sciendum quod voco hic 'capi uniformiter' quando, accepta una divisione secundum quam aliqua dicuntur multa, tunc unum sumatur pro carentia huius divisionis. Et sic privative unum et multa, quia iste terminus 'multa' dicitur secundum rationem divisionis vel diversitatis, et unum dicitur secundum carentiam sive negationem huius divisionis vel diversitatis, et non secundum negationem simpliciter. Igitur

42 **Utrum circa primum principium contingit errare**. Solvitur prenotando quod errare circa primum principium intelligitur multipliciter. Uno modo per 'errare' intelligitur negare. Alio modo per 'errare' possumus intelligere quod aliquis primo principio mente dissentiat et eius opposito consentiat, scilicet propositionibus falsis quarum termini supponunt pro primo principio. Alio modo quod dissentiat propositionibus veris quarum termini in propria forma significant primum principium esse verum.

43 Tunc fit conclusio prima: Capiendo primo modo 'errare', tunc contingit errare circa primum principium. Patet de illis antiquis quarto

huius[1] qui negaverunt primum principium. Igitur etc. Secunda conclusio: Capiendo 'errare' secundo modo, adhuc contingit errare circa primum principium. Patet exemplariter: Multe propositiones sunt formales et dubitabiles. Quarum termini significant primum principium. Igitur etc. Aliud ⟨exemplum⟩ patet de presenti questione, que est dubitabilis. Tertia conclusio: Nullus potest mente dissentire primo principio in propria forma accepto ut isti principio 'Quodlibet est vel non est', 'Nullum simul est et non est'. Et hoc dicit[2] Aristotiles quarto huius. Et illa propositio non potest probari, quia nichil est notius primo principio.

44 **Utrum contradictio est maxima oppositio**. Solvitur prenotando quod 'magnitudo' sumitur improprie pro excellentia in aliquibus proprietatibus que debentur oppositionibus. Tunc ponitur prima conclusio quod contradictio est communissima oppositio. Patet, quia potest fundari in omnibus terminis. Et etiam quia semper unus terminorum contradictoriarum pro omni ente supponere ⟨oportet⟩. Et etiam quia propositiones contradictorie repugnant tam secundum verrum quam secundum falsum, sed contrarie non. Secunda conclusio: Contradictio est simplicissima oppositio. Patet, quia loquendo de oppositione terminorum, contradictio fundatur in unico termino cum additione istius syncathegorematis 'non', ut 'homo' et 'non-homo', sed contrarietas est duorum, ut 'albi' ad 'nigrum'. Item. Contradictio est communior (ut iam dictum est) et communiora sunt simpliciora (ut iam dictum est), nam genus simplicius ⟨est⟩ quam sua species ex eo quod species diffinitive resolvitur in genus et differentiam. Tertia conclusio: Contradictio est prima oppositio. Patet, quia communior, et quia communiora sunt priora. Etiam est simplicior, et simplicius est prius composito, quia omnes alie ⟨oppositiones⟩ contradictionem implicant, et non econverso. igitur etc. Quarta conclusio ⟨est⟩ quod contradictio quantum ad evidentiam est evidentissima. Patet, quia citius et evidentius cognosco inter istas 'Sortes est albus' et 'Sortes non est albus' quam inter istas 'Sortes est albus' et 'Sortes est niger', quia forte est mellinus. 200r

45 **Utrum ista propositio sit primum principium complexum, scilicet simul inesse et non inesse eidem videtur impossibile**. Solvitur prenotando quod intelligendo primum principium est diversis viis procedendum. Uno modo quod inspicitur ad simplicitatem primi principii. Et sic propositio de 'est' secundo adiacente est prior propositione de

32 mellinus (= 'honey-coloured', 'yellow')] *coni.* melius *C*

1 *Metaph.* IV 5.
2 *Ibid.* IV 3, 1005b19–22

'est' tertio adiacente, et affirmativa est prior negativa. Et secundum hunc ordinem sunt multa prima principia. Et ista ⟨kathegorica⟩ est prima 'Est ens'; postea 'Ens est ens'; postea 'Non-ens est non-ens'. Postea iste ypotetice 'Ens est ens, vel non est ens'; postea ista 'Nichil est, vel non-ens est'. Deinde modales inter quas primum principium est ultimum, quia maxime valet ad demonstrandum.

46 Sed alio modo, considerando principia quoad firmitatem vel evidentiam eorum, ponitur conclusio quod primum principium magis debet esse | ypotheticum quam kathegoricum. Patet, quia intellectus 200v citius assentit ypotetice quam kathegorice; igitur etc. Consequentia tenet, quia primum principium debet esse firmissimum. Antecedens patet, quia multo citius intellectus assentit huic 'Sor est homo vel asinus' quam huic 'Sor est asinus'. Et sic ista est firmior 'Quodlibet est, vel non est' quam ista 'Omne ens est', quia nullus crederet oppositum prime, et tamen possibile est ymaginari oppositum secunde, sicut aliqui dixerunt 'Aliquando nichil erat'.

47 Secunda conclusio ⟨est⟩ quod primum principium complexum potius debet ⟨esse⟩ negativum quam affirmativum. Probatur ut prius. Ut patet in istis 'Nullum ens est non-ens' et 'Quodlibet ens est ens'. Secunda ymaginatur falsa per istos qui dicunt aliquando omnia corrumpi.

48 Tertia conclusio: Primum principium debet esse potius de esse quam de inesse. Probatur quia propositio de esse est prior et multo comprehensior quam de inesse. Igitur etc. Antecedens patet, quia intellectus citius assentit huic 'Homo est animal' quam huic 'Homini inest animal', quia dubitatur de inherentia vel predicatione.

49 Quarta conclusio: Primum principium potius debet esse modale quam de inesse. Patet, quia intellectus ei facilius assentit. Igitur etc. Antecedens patet, quia aliqui concedunt istam 'Nichil est' ymaginantes omnia esse corrupta de tempore vel motu, et tamen negarent istam 'Nichil potest esse'. Similiter ista potest intelligi falsa 'Rosa est' et ista non 'Rosa potest esse'.

50 Quinta ⟨est⟩ quod in ypoteticis principium de esse est firmius et evidentius quam principium de possibili. Ut patet in istis 'Quodlibet est, vel non est', 'Quodlibet potest esse vel non esse'.

51 Sexta ⟨est⟩ quod principium potius debet esse particulare quam universale quoad evidentiam, ponendo modalem quod ipse eam intellexit unam de sensu diviso.

52 **Utrum aliquod nomen significat infinita**. Solvitur prenotando illud quod dicitur[1] primo *Periarmenias* quod voces sunt signa conceptuum

1 *De interpr.* 1, 16a3–4.

et scripta signa vocum. Tunc fit conclusio prima: Nullum nomen significat infinita immediate. Patet, quia nullum nomen est subordinatum infinitis conceptibus. Igitur etc. ⟨Item⟩, quia si non, tunc de nullo posset esse certitudo nec disputatio, quod tamen supponit[1] Aristotiles quarto *Methaphisice*.

53 Secunda conclusio: Infinita possunt significari per aliquod nomen [im]mediate, quia ly 'continuum' | significat omnia continua et quia 201r infinite sunt partes in continuo quarum quelibet est unum continuum.

54 Tertia conclusio: Aliquod nomen potest significare infinitos conceptus. Patet, ⟨quia⟩, supposita eternitate mundi, infiniti fuerunt homines et infiniti erunt. Sequitur quod infiniti fuerunt conceptus et infiniti erunt conceptus. Non tamen indifferenter omnes conceptus presentes, preteriti et futuri significantur per hoc nomen 'conceptus', et ⟨sic⟩ per multa alia nomina. Ergo infiniti conceptus per aliquod nomen significantur. Et hoc intelligitur de significatione mediata.[2]

55 **Utrum sunt quatuor genera causarum, non plura neque pauciora**. Solvitur prenotando quod aliquid dicitur causa alicuius ex quo dependet ipsum in esse vel in fieri aut in esse scilicet perfectum, aut in tali vel in tali esse. Et fit prima conclusio quod solum sunt quatuor genera causarum. ⟨Nota⟩ quod quatuor sunt ⟨nomina⟩ generalia supponentia pro omnibus causis et nulla sunt alia nomina significantia causas secundum aliquas rationes causandi que coincidunt cum illis quatuor, scilicet 'materia', 'forma', 'efficiens' et 'finis'. Circa que nota quod ista genera non distinguuntur contra seinvicem in supponendo pro diversis rebus – ymo eadem res est ⟨causa⟩, forma, materia, agens et finis –, sed distinguuntur secundum diversas rationes secundum quas aliquid potest dici causa, quia secundum quod est illud ex quo presupposito aliquid fit, dicitur materia. Sed secundum quod actuat et informat materiam, dicitur forma. Et secundum quod ab ea aliquid producitur, dicitur agens. Et inquantum est illud gratia cuius agit, dicitur finis.

56 **Utrum diffinitio elementi sit bona qua dicitur 'Elementum est ex quo aliquid componitur** [etiam antequam] **primo inexistente** [in] **indivisibili ⟨specie in⟩ aliam speciem'**. Solvitur prenotando quod diverse conditiones [que] requiruntur ad conclusionem quod aliquid vere dicatur elementum. Primum est quod ex eo aliquid componatur secundum quod ipsum non componatur ex aliquo priori. Et sic prima ponitur conclusio quod ista descriptio elementi est bona, scilicet 'Elementum est primum ex quo aliquid componitur primo'. Probatur quia: Ista

1 *Metaph.* IV 4, 1006a11 sqq.
2 QUINTUS LIBER *add. C*

descriptio est bona que convertibiliter exprimit conceptum descripti. Sed sic est de ista descriptione, quia per eam exprimuntur iste due conditiones que pertinebant ad talem proprie dictam. ⟨Igitur etc.⟩.

57 Etiam principium ponitur tamquam genus, quia hoc nomen 'princi- 201v
pium' extendit se ad causas extrinsecas et intrinsecas, sed 'elementum' solum ad intrinsecas. Sed notanter dicitur 'ex quo aliquid componitur' ad differentiam principiorum extrinsecorum. Et ponitur ibi 'primo' ad differentiam principiorum intrinsecorum que ulterius componuntur ex aliis intrinsecis principiis prioribus, sicut sunt membra que, quamvis componunt animal, tamen ulterius componuntur ex materia et forma. Sed ista clausula 'indivisibili specie in aliam speciem' non ponitur ibi tamquam de integritate descriptionis sed tamquam quedam proprietas elementi consequens ad diffinitionem elementi. Et per hoc debet intelligi quod non sit divisibile in partes diversarum rationum, quamvis sit divisibile in partes eiusdem rationis, scilicet quantitativas. Similiter de ista clausula 'inexistente' est dicendum, quia sufficienter includitur in 'componitur'. Igitur etc.

58 Correlarium ⟨concluditur per Commentatorem⟩ quod ignis, aer et aqua non sunt proprie elementa, sed solum materia ⟨prima⟩ et forma substantialis. Sed dicuntur elementa quia non percipiunt ⟨vulgares⟩ ea componi ex materia prima et forma.

59 **Utrum continuum sit per se unum**. Solvitur prenotando quod questio ⟨multipliciter⟩ intelligitur. Uno modo terminis captis personaliter, alio modo terminis captis materialiter. Secundo nota quod ⟨hoc⟩ nomen 'unum' connotat indivisionem et ista indivisio potest capi multipliciter. Uno modo quod ens sit indivisum a seipso; et sic valet tantum quantum ly 'idem'; et sic omne ens est unum. Alio modo dicitur unum quod non habet partes quantitativas, ut Deus et Intelligentie. Alio modo quod habet partes quantitativas, non tamen separatas abinvicem; et sic celum est per se unum, quia non subiacet alterationi. Alio modo quod plures habet partes quantitativas, et hoc separabiles, sicut homo vel lignum.

60 Ulterius notandum, quando dicitur utrum continuum vel homo sit per se unum, quod li 'per se' potest capi dupliciter. Uno modo quod valet tantum quantum 'ex sui natura', alio modo ⟨quo⟩ per se est propositio que est in secundo modo perseitatis. Patet, quia est una accidentalis predicatio, cum partes separari possint a seinvicem, ut continuum est unum per se, idest determinat sibi unitatem, sicut dicendo 'Homo est per se risibilis'.

12–13 proprietas] propter *C*

61 Tunc ponuntur conclusiones. Prima quod per se primo omne continuum est per se unum. Patet, quia cuilibet continuo secundum naturam sui inest quod sit unum; igitur etc. Secunda conclusio: Si 'per se' capitur secundo modo, tunc non omne continuum est per se unum. Patet, quia non determinat sibi esse unum, nam potest esse, diversis partibus manentibus. Igitur etc.

62 Et hee conclusiones tenent, terminis captis | personaliter. Sed 202r
terminis captis materialiter, fit conclusio prima quod ista propositio est per se 'Continuum est unum'. Probatur. Omne necessarium est per se. Sed ista propositio est necessaria. Igitur etc.

63 Ulterius notandum quod continuum potest dupliciter considerari. Uno modo quod sit divisibile in semper divisibilia et quod habeat partem extra partem. Et sic continuum est per se unum in primo modo perseitatis. Patet, quia est predicatio essentialis, quia ⟨est⟩ diffiniens de diffinito. Alio modo potest considerari prout partes sunt copulate ad aliquam tertiam communem, ut dicitur[1] in *Predicamentis*. Et tunc predicta propositio est in secundo modo perseitatis. Patet, quia est una accidentalis predicatio, cum partes separari possunt!! a seinvicem.

64 **Utrum bene dividatur unum in unum numero et in unum genere, unum specie et unum analogia**; et cum hoc **Utrum bene describat membra dicte divisionis**. Solvitur prenotando quod ibi non dividitur unum secundum omnes acceptiones eius, sed solum secundum eas secundum quas plures termini dicuntur unum secundum quiditativam predicationem, hocest quod de eis vere predicatur iste terminus 'unum' aut simpliciter aut cum additione designando quiditativam predicationem alicuius tertii de eis.

65 Tunc sciendum quod sufficienter ⟨divisio⟩ istorum modorum 'unius' in terminos potest capi isto modo, quia terminus habet se sic quod unus terminus personaliter captus potest affirmative predicari de alio, vel non. Si sic, tunc sunt unum numero, ut 'Marcus est Tullius'. Si non, tunc non est quiditativa predicatio, nisi ratione tertii quod predicatur de ambobus. Et hoc dupliciter: aut secundum eandem rationem specificam vel dissimilem; et sic sunt unum specie, ut Sortes et Plato. Vel secundum rationem generalem et indissimilem; et sic sunt unum genere, ut asinus et homo. Sed si secundum diversas rationes, hoc est dupliciter: vel secundum rationem omnino diversam; et sic sunt termini equivoci (ut sunt 'canis' et similia), vel secundum rationem diversam, habentem tamen ordinem ad unum (ut 'sanum' de animali et

38–191.1 sanum de animali et urina dictum] animal et urina dicta *C*

1 *Categ*. 6, 4b20–5a14.

urina dictum) habent ordinem adinvicem; et sic sunt unum secundum analogiam. Ex quo concluditur quod divisio unius in ista membra est sufficiens.

66 Quantum ad secundum, quando dicitur «Unum numero sunt quorum materia est una» habet intelligi quod unum numero sunt termini qui pro eodem supponunt. Secundo, quando dicitur «Eadem specie sunt quorum ratio est una», debet intelligi: quarum ratio specifica et diffinitiva est una. Tertio, quando dicitur «Unum genere sunt quorum est eadem figura predicationis sive idem modus predicandi», debet intelligi de prima substantia.

67 **Utrum ens bene dividitur in ens secundum se et in ens secundum accidens**. Solvitur prenotando quod hoc quod est 'est' vel 'ens' quandoque capitur pro copula in propositione affirmativa, et 'non ens' pro copula in propositione negativa. Et sic 'ens' nichil aliud significat nisi idem esse pro quo supponunt subiectum et predicatum, et 'non ens' significat non idem ⟨esse⟩ pro quo supponunt subiectum et predicatum. Et sic divisio entis in ens per se et in ens per accidens est bona, et est dicere quod omnis propositio affirmativa vera est per se vera aut per accidens. Alio modo 'ens per se' capitur pro termino absoluto, et 'ens per accidens' pro termino connotativo. Et sic divisio talis est adhuc bona, quia omnis terminus est connotativus vel absolutus. Et sic Aristotiles divisit ⟨ens⟩ in decem predicamenta. Tertio modo 'ens per se' capitur pro isto quod per se existit, et 'ens per accidens', quod habet causam per quam ⟨est⟩, pro eo quod in altero existit sicut accidens. Et sic etiam predicta divisio est bona, quia omne ens est substantia vel accidens. Quarto modo 'ens per se' dicitur quod est causa aliorum et ipsius non est aliqua causa; ens per accidens est quod habet causam per quam est. Et sic adhuc est bona divisio, quia omne ens est causa, vel causatum, vel ambo simul. Quinto modo 'ens per se' capitur pro vero, et 'ens per accidens' pro falso. Et sic adhuc predicta divisio est boma, quia omnis propositio est vera vel falsa. 202v

68 **Utrum propositio ex eo est impossibilis quod sua contradictoria de necessitate est vera**. Solvitur prenotando quod propositio de presenti vera dicitur ex eo vera quod qualitercumque per eam denotetur esse, ita est; et de preterito ⟨quod⟩ qualitercumque ⟨per eam⟩ denotatur fuisse, ita fuit; et de futuro quia qualitercumque per eam denotatur fore, ita erit; et de possibili quia qualitercumque per eam denotatur posse fieri, ita potest esse.

69 Et nota, quecumque est causa veritatis alicuius propositionis, eadem est causa falsitatis sue contradictorie. Et sic duo contradictoria

37 fore] fieri *C*

numquam possunt simul esse vera vel falsa. Sed per questionem Aristotiles intendit quod omnis impossibilis habet contradictoriam necessariam si formetur, et econverso. Et ideo est omnino eadem causa veritatis unius et falsitatis alterius.

70 **Utrum relativa secundi modi qui positi sunt in litera, scilicet calefactivi ad calefactibile et siccativi ad siccabile, sunt in predicamento Ad aliquid, vel in uno alio predicamento**. Solvitur prenotando quod nos possumus rem concipere absolute sine habitudine ad aliam rem, ut hominem concipio absolute et impono ei hoc nomen 'homo', et sic de aliis. Alio modo possumus concipere rem per modum dependentis ad aliam, ut | dominus habet se ad servum, et sic de aliis. Et talia dicuntur 203r concipi relative.

71 Et sic ponuntur conclusiones. Prima quod si huiusmodi calefactibile, calefactivum (et sic de aliis) considerantur prout important habitudinem unius ad alterum, tunc sunt in predicamento Ad aliquid. Patet, quia tunc talia non possunt verificari de alio sine habitudine obliqui casus sui correlativi; igitur etc. Secunda conclusio ⟨est⟩ quod si ista considerantur absolute et non concipiuntur per modum dependentie, tunc sunt in predicamento vel Actionis vel Passionis. Patet, quia tunc non sunt per modum habitudinis.

72 **Utrum relativa tertii modi referantur adinvicem uniformiter, sic quod unum dicatur convertibiliter ad aliud et econverso**. Solvitur prenotando quod Aristotiles vult quod ista dicuntur relativa in primo vel secundo modo quorum unum dicatur ad reliquum sub habitudine alicuius casus, ut patris et filii, agentis et passi. Et ista dicuntur ad convertentiam mutuam uniformiter. Sed in littera loquitur de dependentia reali a suis causis. Et illa non oportet quod dicantur ad convertentiam, quia, licet a causa dependeat effectus, non tamen econverso. Et sic exemplificando istum modum Aristotiles per 'mensuratum' intelligit effectum, per 'mensurabile' causam, quia effectus sunt nobis notiores causis. Similiter de scibili et scientia quod scientia dependeat a scibili et non econverso. Igitur etc.

73 Alio modo potest intelligi dictum Aristotilis, quod illi termini qui sunt in primo vel secundo modo relationis, dicuntur ad seinvicem uniformiter, quia utrobique secundum terminum concretum, ut 'duplum' ad 'dimidium', et econverso ⟨vel⟩ 'pater' ad 'filium' et econverso. Sed relativa ⟨de⟩ tertio modo differenter referuntur, quia unum refertur ad alterum tamquam ad terminum concretum, et non econverso, sed tamquam ad abstractum, ut mensura dicitur ad mensurabile tamquam

4 veritatis] necessitatis *C* 26 littera] tertia *C* 33 dictum] dicitur *C*

ad concretum, et mensurabile ad mensuram sicut ad abstractum. Et sic patet questio.

74 **Utrum propinquitas vel distantia sint res differentes a re distante vel re propinqua**. Solvitur secundum opinionem Aristotilis quod nulla possent distare nisi sit dimensio media faciens distare, quia negavit vacuum simpliciter esse. Unde 'distantia' connotat medium esse inter istos terminos et significat ista extrema distantia. Sed 'propinquitas' significat duo extrema et connotat non esse medium inter ista duo.

75 **Utrum convenientie et diversitates rerum adinvicem sint res addite preter animam rebus convenientibus vel diversis**. Solvitur prenotando quod alique res possunt dici convenientes vel disconvenientes dupliciter. Uno modo primo et secundum se et non propter hoc quod alie res sibi attribute sint convenientes vel disconvenientes. Alio modo non primo neque secundum se, sed ex eo quod alie res sibi attribute sunt convenientes vel disconvenientes. Et sic homo albus et equus albus dicuntur similes propter hoc quod albedines eis inherentes sunt convenientes. Sed si Sortes sit diversus a Platone substantialiter, hoc est primo et secundum se et non ex eo quod alie res sibi attribute sunt diverse, ymo, omnibus aliis circumscriptis, adhuc essent diversi. 203v

76 Et sic ponuntur conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod convenientie et diversitates rerum primo et secundum seipsas non sunt res distincte preter animam ab istis rebus convenientibus vel diversis. Probatur quia: Intelligentie sunt diverse abinvicem. Et cum hoc Intelligentie a natura rei sunt quodammodo convenientes et plus convenit una Intelligentia cum altera quam cum prima materia. Igitur etc.

77 Secunda conclusio ⟨est⟩ quod convenientie et diversitates secundo modo dicte sunt dispositiones addite istis rebus. Patet quia similitudo Sortis ad Platonem est propter convenientiam qualitatum, que est qualitas addita Sorti. Igitur etc. Sed diversitas Sortis ad Platonem est Sortes. Similiter diversitas Platonis ad Sortem est Plato; et sic de aliis.

78 **Utrum causalita⟨te⟩s et dependentie effectuum ex causis suis sint res addite illis causis et istis effectibus**. Solvitur ponendo conclusiones. Prima quod causalitas ⟨Dei⟩ super alias res vel Deum esse causam aliarum rerum non est aliqua res sive dispositio addita in Deo. Probatur quia Deus est summe simplex, ita quod nichil sit in Deo ipso quin sit Deus, ut patet ⟨in 120⟩ huius. Igitur etc. Secunda conclusio ⟨est⟩ quod dependentie rerum ab ipso Deo vel alias res dependere ab ipso Deo non est aliquod additum illis rebus dependentibus. Patet, quia Aristotiles ponit Intelligentias in esse suo dependere ⟨a Deo⟩, et tamen

7 extrema] esse *add. C necnon del. Cc* 9 convenientie et diversitates] convenientia diversitatis *C* 35 quin] quando *C*

ponit eas ⟨sic⟩ esse simplices quod nulla sit in eis dispositio addita. Item. Sequeretur quod esset processus in infinitum in dependentiis additis. Patet sumendo primam Intelligentiam post Deum. Si ista ⟨Intelligentia dependet a Deo per dependentiam additam, tunc ista⟩ dependentia | 204r dependet a Deo. Et hoc vel a seipso, et tunc pari ratione dicetur de Intelligentia. Si non, pro alia dependentia sic proceditur in infinitum. Igitur etc.

79 **Utrum philosophia speculativa bene dividitur in phisicam, mathematicam et methaphisicam**. Solvitur prenotando quod mathematica, methaphisica et phisica vocantur agregatione⟨s⟩ ex omnibus conclusionibus de quibus considerant aliqua istarum scientiarum.

80 Tunc ponuntur conclusiones. Prima quod divisio istarum scientiarum speculativarum non attenditur penes divisionem rerum ad extra per istas scientias significatarum. Patet, quia easdem res considerant iste tres scientie; igitur etc. Antecedens patet, quia considerant hoc quod est ens rationis. Secunda conclusio: Distinctio istarum scientiarum capitur penes distinctionem conceptuum anime. Patet, quia iste scientie sunt distincte, et non ex parte rei (ex prima conclusione). Igitur etc. Tertia conclusio ⟨est⟩ quod distinctio istarum scientiarum non sumitur penes distinctionem conclusionum consideratarum in istis scientiis. Patet, quia eadem conclusio potest considerari in diversis scientiis secundum quod potest probari per diversa media; igitur etc. Antecedens probatur quia: Philosophus naturalis considerat istam conclusionem 'Terra est rotunda' et astrologus considerat eandem. Sed hoc est per diversa media. Igitur etc.

81 Quarta conclusio: Distinctio istarum scientiarum speculativarum non capitur ex parte principiorum complexorum. Probatur quia: In qualibet istarum scientiarum sunt valde multa principia non reducta ad aliquod principium complexum. Sed ⟨sunt⟩ omnia indemonstrabilia. Igitur etc. Quinta conclusio universalis: Distinctio istarum trium scientiarum speculativarum capitur ex distinctione quorundam conceptuum incomplexorum. Patet, quia non capitur ex predictis; igitur etc. Consequentia tenet ex sufficienti divisione ⟨terminorum⟩. Et isti termini sunt 'ens', 'quantum' et 'mobile'. Unde methaphisica considerat ens et quidquid methaphisicus considerat habet reduci ad ens. Similiter quidquid phisicus considerat, habet reduci ad ly mobile. Et quidquid mathematicus, ad ly quantum. Igitur etc.

82 **Utrum de ente per accidens potest esse scientia**. Solvitur prenotando quod de aliquo esse scientiam intelligitur dupliciter. Uno modo

7 igitur etc.] QUESTIONES ET CONCLUSIONES SEXTI LIBRI methaphisice *add. C* 34
quantum et] inquantum ens *C*

sicut de conclusione scita et demonstrata. Alio modo sicut de rebus. Et sic primo modo scientia est solummodo de necessariis. Sed secundo modo scientia est de | omni re mundi, quia alique sunt conclusiones 204v
demonstrabiles quarum termini significant omnes res mundi, sicut isti termini 'idem', 'diversum', 'causa' et 'causatum'.

83 Tunc sic ponuntur conclusiones. Prima: De ente per accidens, secundo modo capiendo 'scientiam', est scientia. Patet ex notabilibus. Secunda conclusio ⟨est quod de ente per accidens, primo modo capiendo 'scientiam', non est scientia⟩. Ad quam nota quod 'ens secundum accidens' potest sumi ⟨uno modo pro quolibet novem predicamentorum accidentalium, alio modo pro rebus significatis per huiusmodi terminos, alio modo capitur pro agregatione terminorum diversorum predicamentorum non facientium unum per se, ut 'Coriscus domificator', 'homo musicus'. Et istis modis non capitur hic. Sed ens per accidens vocatur in proposito ⟨propositio⟩ que non semper nec in pluribus est vera, sed contingenter. Et sic ens per se est propositio necessaria. Tunc ponitur conclusio quod de ente ultimo modo capto non est scientia primo modo. Patet ex notabilibus.

84 **Utrum ens per accidens habeat causam per se**. Solvitur prenotando quod iste determinationes 'per se' et 'per accidens' non sunt determinationes rerum, sed propositionum. Patet in littera, ubi dicit quod domificator est causa per se domus et musicus est causa per accidens domus. Et tamen eadem res est domificator et musicus, idest hec est per se vera 'Domificator est causa domus' et hec per accidens 'Musicus est causa domus'.

85 Pro quo est notandum quod propositionum quedam sunt de simplici inherentia, ut 'Homo est animal', quedam non possunt esse vere de natura istarum nisi sit constantia terminorum, ut ista 'Tonitrus est sonus factus in nubibus', que numquam est vera nisi supposita constantia terminorum. Sed quedam sunt propositiones causales, ut ista in qua exprimitur nomen significans causam alicuius effectus, ut 'Domificatur facit domum'. Que sunt per se vere, supposita constantia terminorum, scilicer quod domificator est et agit etc. Et sic diceretur quod ens per accidens, idest propositio vera per accidens, non habet causam sue veritatis.

86 **Utrum omne futurum de necessitate eveniet**. Solvitur ponendo conclusionem quod non omne futurum de necessitate eveniet. Patet, quia si non, tunc nichil eveniret contingenter. Et per consequens nichil fieret a casu et fortuna. Quod est falsum, ut patet[1] secundo *Phisico-*

1 *Physica* II 4–6.

rum. Item. Omnes propositiones de futuro essent necessarie, quod est falsum. Et sic conceditur cum cras legam 'Deus scivit me ab eterno legere cras'. Sic etiam si cras non legam, Deus scivit me ab eterno non legere. Sic etiam potuit | scire ab eterno quod anima sancti ⟨Petri⟩ 205r
fuisset annichilata, si ⟨annichilaret⟩, exquo potuisset eam annichilare. Et sic de aliis.

87 **Utrum omne verum vel ⟨falsum⟩ est secundum compositionem vel secundum divisionem in mente**. Solvitur prenotando quod appetibile ea ratione qua appetibile est bonum, et omne refutabile ea ratione qua est refutabile est malum. Tunc ponitur conclusio: Omne ens est bonum. Probatur Omne ⟨quod⟩ est est volitum a Deo. Et omnis voluntas Dei non errat. Ergo nichil vult nisi bonum. Et licet omnis res sit bona, non unicuilibet est bona, quia caliditas est bona, non tamen aque.

88 De intellectione vera et falsa notandum quod duplex est intellectus, divinus et humanus. De divino non intenditur hic in sexto. Ulterius notandum quod duplex est intellectio humana; quedam est simplex, quedam complexa. Intellectio simplex est vera quia est quiditativa et sine differentia temporis; et est maxima adequatio rei ad intellectum. Unde 'homo' significat hominem existentem presentialiter vel qui fuit vel qui erit. Et sic intendit[1] Aristotiles tertio *De anima* quod intellectus *quid est* semper est verus. Sed complexio est duplex, una indistans, alia distans. Indistans ⟨est⟩ prout determinatio complectitur cum determinabili sine copula verbali mediante, ut 'animal rationale', homo albus'. Et hoc potest fieri componendo vel dividendo. Et vocatur hic compositio si fit modo affirmativo, divisio ⟨si⟩ negativo. Et indistans est vera si res significata per determinationem sit eadem cum re pro qua determinabile supponit. Sed si non esset sic, tunc diceretur falsa, sicut iste ⟨intellectus⟩ est falsus 'asinus rationalis' et iste verus 'homo risibilis'.

89 Tunc sic ponuntur conclusiones. Prima: Non omne verum est in mente secundum compositionem et divisionem. Patet de vero quod est in mentibus. Secunda conclusio: Omne falsum proprie captum est circa compositionem et divisionem. Patet[2] per Aristotilem tertio *De anima* quod falsum in compositione semper est vel divisione. Tertia conclusio: Omne verum habens falsum [si] oppositum est circa compositionem vel divisionem in mente. Et hoc vult Aristotiles in litera.

13 aque] aqua *C*

1 *De anima* III 4, 419b18–22.
2 *De anima* III 6, 430b1–2.

90 **Utrum ad veritatem affirmative requiritur compositio in re significata sive in rebus significatis, et ad veritatem negative requiritur divisio rei significate vel rerum significatarum**. Solvitur ponendo | conclu- 205v
siones. Prima: Ad veritatem propositionis affirmative non requiritur compositio in re significata vel in rebus significatis. Probatur quia: Ista est vera 'Deus est Deus'. Et nulla est compositio in re, cum Deus sit simplicissimus. Igitur etc. Secunda conclusio: Ad veritatem negative non requiritur divisio in re significata vel in rebus significatis. Probatur quia: Ista est vera 'Nulla chymera est chymera'. Et tamen nulla ibi est divisio in rebus significatis, quia nichil est chymera. Igitur etc.

91 Sed Aristotiles per 'affirmativam veram habere compositionem' intelligit quod subiectum et predicatum supponunt pro eodem. Tunc ponuntur conclusiones. Prima: Ad veritatem propositionis affirmative kathegorice requiritur quod subiectum et predicatum supponant pro eodem. Patet, quia si dicitur 'A est B', intelligitur quod A et B supponunt pro eodem. Secunda conclusio: Quecumque requiruntur ad veritatem propositionis affirmative ⟨quantum est ex parte rerum significatarum⟩ defectus unius istarum sufficit ad veritatem contradictorie negative. ⟨Correlarium: Ad falsitatem propositionis negative requiritur quod termini supponant pro eodem⟩. Patet, quia aliter non contradicunt. Tertia est quod ad veritatem negative sufficit quod subiectum et predicatum non supponunt pro eodem. Secundum correlarium: Negativa cuius alter terminus pro nullo supponit, est vera. Patet ex correlario precedenti, quia: Ubi subiectum et predicatum non supponunt pro eodem, ibi negativa est vera. Modo quando unus terminorum pro nullo supponit, tunc non supponunt pro eodem. Igitur etc. Et hoc debet intelligi ubi non fiat reflexio, ut hic 'Sor dicit falsum'.

92 **Utrum propositio ex eo dicitur vera quia qualitercumque significat, ita ⟨est⟩ in re vel in rebus significatis**. Solvitur ponendo conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod non omnis propositio est vera ex eo quod qualitercumque significat, ita est in re significata vel in rebus significatis. Patet, quia ista est vera 'Antichristus erit; igitur etc.' Secunda conclusio ⟨est⟩ quod omnis propositio affirmativa de presenti est vera ex eo quod qualitercumque significat ita est in re vel in rebus significatis. Et propositio affirmativa de preterito est vera quia qualitercumque significat fuisse, ita fuit. Et de futuro affirmativa est vera quia qualitercumque significat ⟨fore⟩, ita erit. Et de possibili quia potest esse. Hec conclusio patet ex modo dicendi. Tertia conclusio ⟨est⟩ quod propositio negativa dicitur falsa ex eo quod qualitercumque per contradictorium suum significatur, ita est in re vel in rebus significatis. Similiter de preterito, futuro, et possibili dico suo modo. Quarta conclusio: Propositionis false nulla

est causa falsitatis ex parte rei. Patet, quia sufficit solum eius formatio et eiusdem non-verificatio, quia ista esset falsa 'Homo est asinus', licet nichil sit in re. Quinta | ⟨est⟩ quod eadem est causa vere propositionis, 206r
que est causa falsitatis sue contradictorie. Iterum omnis propositio-
5 nis impossibilis ex eo dicitur impossibilis quia sua contradictoria est necessaria. Solvitur ut prius in quinto huius.

93 **Utrum ens per accidens et ens ut verum debeant abici a consideratione methaphisici**. Solvitur prenotando quod per 'ens per accidens' intelligit propositionem per accidens veram. Et sic ponuntur conclu-
10 siones. Prima ⟨est⟩ quod ad methaphisicum pertinet considerare ens per accidens et etiam unius. Patet, quia ad eum pertinet considerare de omnibus; igitur etc. Antecedens patet, quia habet considerare istos terminos 'ens', 'unum', 'diversum' (et sic de aliis), qui supponunt pro omnibus. Secunda conclusio: Capiendo 'scientiam' pro conclusione
15 demonstrata vel demonstrabili, de ente per accidens non est scientia. Probatur quia: Conclusio demonstabilis vel demonstrata debet esse necessaria et per se vera, ut patet[1] primo *Posteriorum*. Igitur etc. Tertia conclusio: Ad scientiam libri *De anima* et non ad methaphisicam spectat considerare quomodo generaretur verum et falsum. Patet, quia
20 compositioni et divisioni insistit veritas et falsitas propositionum, quia sunt operationes intellectus de quibus in secundo *De anima*. Igitur etc.

94 **Utrum substantia sit prior accidente ratione (idest diffinitione), natura et tempore**. Solvitur prenotando quod naturalis philosophus
25 considerat substantias in ordine ad motum et operationem. Et sic non considerat absolute substantias, sed substantias naturales. Et sic substantia diffinitur per accidentia, quia per motum et per suas operationes, quia 'natura' vel 'naturale' est terminus connotativus. Sed methaphisicus considerat substantias secundum se et absolute, cir-
30 cumscriptis omnibus aliis. Et sic substantia non diffinitur per accidens, sed accidentia per substantias. Et hoc patet. Primo de concretis, ut 'Album est substantia informata albedine'. Et de abstractis, quia albedo est quid inherens; ibi ponitur li 'quid' terminus substantialis.

95 Tunc de prioritate nature. Aristotiles per 'naturam' intelligit per-
35 fectionem. Modo per conceptum substantie perfectius cognoscitur res quam per conceptum accidentis.

4 que] hoc *C* 20 compositioni et divisioni] composito et diviso *C* 34 nature] notitie *C* | naturam] notitiam *C*

1 *Anal. Post.* I 2, 71b9–25.

96 Item. De prioritate temporis exponit[1] Commentator quod hoc habeat intelligi de accidentibus generabilibus et corruptibilibus, et non eternis, quibus nichil est prius. Unde ubilibet sit prima causalitas ignis, ibi materia ignis, que est eterna, est prior igne.

97 **Utrum forma sit prior et magis ens vel magis substantia quam materia | et compositum**. Solvitur prenotando ⟨quod⟩ duplex est com- 206v
paratio. Quedam propria qua solum comparantur adinvicem illa que sunt eiusdem generis et rationis, ut qualitas quantitati et vox voci. Alia est impropria, ubi non requiritur idemptitas generis vel rationis, ut dicendo 'Deus est perfectior asino'. Et isto modo possunt comparari adinvicem materia et forma et compositum. Secundo notandum ⟨quod⟩ quantumcumque fit aliqua comparatio per hoc adverbium 'magis' vel 'minus', uno modo notatur gradualis intensio, ut ⟨cum⟩ dicimus 'Sortes est minus albus Platone', alio modo connotatur perfectio ut dicendo 'Sortes est magis ens et perfectius ens'.

98 Et sic ponuntur conclusiones. Prima: Materia est prior tempore forme et toto composito, intelligendo de materia et forma eiusdem compositi. Probatur quia materia est eterna, forma autem et compositum non; igitur etc. Secunda conclusio: Materia est prior natura forma et toto composito. Probatur quia materia est causa forme, quia deducitur de potentia media in actum; igitur etc. et etiam est altera pars compositi. Tertia conclusio: Forma est prior materia perfectione. Probatur quia: Forma est perfectior substantia. – et sic intellexit Aristotiles septimo huius; non enim voluit dicere quod forma esset magis ens, prout 'magis' dicit gradualitatem, sed prout dicit perfectionem –. Et sic etiam dicitur quod forma est dignior composito ratione nature. Igitur etc.

99 **Utrum in dictis secundum accidens sit idem iustum et iustum esse vel sit idem album et album esse, et sic de aliis accidentibus**. Solvitur prenotando quantum ad solutionem questionis logicaliter quod duplices sunt propositiones. Quedam sunt de simplici inherentia, ut quando predicatum coniungitur subiecto mediante hoc verbo 'est', ut 'Homo est animal'. Alia est propositio essentialis, ut quando hoc verbum quod est *esse* rei unius, coniungitur *esse* alterius cum hoc verbo 'est', ut 'Esse hominis est esse animalis'. Modo ad veritatem propositionis primo modo dicte requiritur quod subiectum et predicatum supponant pro eadem re, nisi sit propter seipsam falsificans. Sed ad veritatem secunde ultra hoc requiritur quod unius determinatio sit

3 ubilibet sit] unde licet *C* 4 igne] ARISTOTILIS QUESTIO *add. C* 26 nature] materie *C*

1 *In Arist. Metaph. comm.*, *ad* VII 1, 1028a30–33.

predicatio quiditativa. Etergo Aristotiles in multis locis concedit istas de simplici inherentia et negat istas de esse, ut primo *Phisicorum* concedit[1] istam 'Materia est privatio' et negat istam 'Esse materie est esse privationis'. Et sic concederet istam 'Homo est albus', et tamen non concederet istam 'Esse hominis est esse | albi'. 207r

100 Sed ad solutionem methaphisicalem est notandum quod 'album' solum supponit pro subiecto, licet connotet albedinem, sed 'esse album' significat albedinem solum. Secundo notandum quod quedam sunt nomina concreta que supponunt non pro re inherenti, ut 'privatum' et 'figura', licet sint connotativi, quia 'figura' non significat dispositionem additam rei figurate, sed ipsam rem figuratam.

101 Et sic ponuntur conclusiones. Prima: In dictis secundum accidens ubi accidens significat dispositionem superadditam vel inherentem subiecto, non est idem *ipsum* et *ipsum esse*, idest *album* et *esse album*. Patet, quia talis dispositio que significatur per 'esse', non est suum subiectum quod significatur per 'album'; igitur etc. Secunda conclusio: In dictis secundum accidens ubi accidens non significat aliquid superadditum subiecto, idem est *ipsum* et *ipsum esse*, ut idem est *figuratum* et *esse figuratum*. Patet, quia tale non significat dispositionem superadditam. Igitur etc.

102 **Utrum in dictis secundum se sit idem ipsum et esse ipsum**. Solvitur. *Homo* et *hominem esse* ⟨est idem⟩, ponendo quod questio est vera. Probatur quia in dictis secundum se ⟨ubi⟩ *ipsum* et *ipsum esse* ⟨est idem⟩, termini non connotant aliquod extrinsecum superadditum ipsi substantie, quia substantia est solum substantia per formam suam substantialem et propter nichil aliud. Et sic conceduntur iste [quod] 'Albedo est esse albedinem', 'Homo est esse hominem', 'Omnis homo est esse animal', 'Omnem hominem est esse hominem', et tamen nullum hominem est esse omnem hominem.

103 **Utrum accidentis possit esse diffinitio**. Solvitur prenotando quod quedam est diffinitio simpliciter quiditativa, que prescise dicit quiditatem rei et essentiam. Alia est diffinitio causalis, que exprimit quid est res per causas, ut diffinitio domus est edificium factum ex tegumentis. Alia est diffinitio *quid nominis*, que solum exprimit quid per nomen significatur. Et ista convenit terminis pro nullo supponentibus, ut 'vacuo' etc., sed alie due non.

11 figurate] significate *C* | figuratam] significatam *C* 26 et] aut *C* 31 simpliciter] simplex *C*

1 *Physica* 1 9.

104 Et sic ponuntur conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod accidentis bene est diffinitio *quid nominis*. Probatur. Quicumque termini habe⟨n⟩t genus et differentias, illi possunt diffiniri. Sed termini accidentales sunt huiusmodi. Igitur etc. Secunda conclusio: Accidentis est diffinitio causalis. Probatur quia: Quidquid habet causas, potest | diffiniri diffinitione causali. Sed accidentia habent causas. Igitur etc. Minor patet per Platonem, qui dicit[1] «Nichil est ortum cuius non legitima causa precessit». Tertia conclusio: Nullius accidentis est diffinitio pure quiditativa. Probatur quia: Diffinitio causalis debet solum habere quiditatem rei. Modo si diffiniretur terminus accidentalis solum quiditative, tunc nulla fieret mentio de aliquo extrinseco, scilicet de accidente, et sic esset insufficiens. Igitur etc. 207v

105 **Utrum termini accidentales debeant diffiniri per sua subiecta**. Solvitur prenotando quod aliqua sunt accidentia que determinant sibi solum terminum subiectum, ut 'simus' determinat sibi nasum. Alia autem non, ut 'album' vel 'nigrum'. Prima debent per eorum subiecta diffiniri, sed secunda non per ⟨rationem⟩ specialem sed per rationem communem convenientem omnibus istis subiectis, ut dicendo 'Album est res informata albedine'.

106 Et sic ponitur conclusio. Omnis terminus accidentalis habet diffiniri per suum subiectum. Probatur quia: Diffinitio debet exprimere totam significationem et generationem diffiniti. Sed nullum accidens potest esse sine subiecto. Igitur etc.

107 **Utrum materia fit, vel forma fit, vel compositum fit**. Solvitur prenotando quod aliquid generatur dupliciter: uno modo simpliciter, alio modo secundum quid. Simpliciter illud fit de quo iam dicitur quod nunc est et prius non fuit. Sed secundum quid fit illud de quo dicitur quod iam est et prius non fuit cum verbo 'est' tertio adiacente, ut 'Nunc Sortes est albus et prius non fuit albus'. Secundo nota quod triplex est generatio. Quedam subiectiva; et sic fit materia. Alia terminativa; et sic fit forma. Alia completiva; et sic fit compositum, quia nichil fit quod non ⟨est⟩ eius pars.

108 Tunc ponuntur conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod materia non fit simpliciter. Patet, quia iam non est verum dicere 'Quando est subiectum istius forme postquam prius non fuit subiectum istius forme, quod iam est postquam non fuit'. Secunda conclusio: Forma fit simpliciter. Patet, quia verum est dicere 'Forma iam est et prius non fuit'; igitur etc. Tertia

1 bene] non *C* 29 triplex] duplex *C*

1 *Timaeus*, 28A. CALCIDIUS (ed. J.H. WASZINK, *Plato Latinus* IV), p. 20, 21–22: "Nichil enim fit cuius ortum non legitima causa et ratio praecedat".

conclusio: Totum compositum fit simpliciter. Probatur ut precedens. Quarta conclusio: Nec materia nec forma fit solitarie secundum totum compositum et per solitariam generationem, intellig⟨end⟩o quod fiat ita quod nichil fiat quin etiam eius pars. Et istam conclusionem Aristotiles intendit in litera.

109 **Utrum omne quod fit, fiat ab agente sibi simili**. Solvitur prenotando 208r
quod 'similitudo' capitur dupliciter. Uno modo aliqua dicuntur similia quia habent similes qualitates in specie vel in genere. Secundo modo aliqua dicuntur similia ubi agens habet aliquam determinationem vel appropriationem ad effectum.

110 Et sic ponuntur conclusiones. Prima. Non omne quod fit, fit a ⟨sibi⟩ simili primo modo. Patet, quia ab eodem homine fit cultellus, gladius et alia quibus homo non potest similari in specie; igitur etc. Secunda conclusio: Omne quod fit, fit ab agente sibi simili, capiendo similitudinem secundo modo. Patet, quia naturalia agentia agunt nonnisi propter aliquam ⟨ap⟩propriationem propter quam agunt unum effectum et non alium. Et in artificialibus talis determinatio fit per voluntatem qua artifex determinat se ad hoc artificium et non ad aliud. Et in causalibus licet agens particulare non determinat sibi ⟨ad⟩ effectum talem, tamen concursus aliarum causarum hoc determinat. Verbi gratia, licet aliquis fodiens non determinat se invenire aurum, tamen iste qui ponit ibi aurum, ad hoc se determinat ut ibi ponat. Et sic rane generantur ex putrifactione et in tali tempore et loco, et non in aliis, quia tunc sol in isto loco habet proprietatem producendi istas ranas.

111 **Utrum propter generationem substantiarum sensibilium necesse est ponere substantias separatas**. Solvitur ponendo conclusionem quod propter generationem substantiarum sensibilium necesse est ponere substantiam separatam. Probatur quia musca est nobilis substantia cum sit animatum, et tamen nullum ita nobile fit sibi proximatum sicut musca. Ergo necesse est quod generaretur a substantia separata. Sed non generatur a corporibus celestibus, quia talia distant a putrefactionibus. Ergo oportet quod ea prius agant in medium quam in ista putrefactibilia. Sed tale est accidens quod est minus nobile quam substantia. Igitur etc. Secunda ratio ⟨est⟩ quia: Omne quod generatur, semper generatur a perfectiori vel eque perfecto. Modo in ovo pullus non generatur a gallina, quia ista distant a vitello. Ergo ista plus agit in medium, et talis actio in medio est solum accidens, quod est ignobilius quam pullus in ovo. Igitur etc.

15 nonnisi] *Cc* non *C* 19 licet] valet *C*

112 Et ita debet esse de ista substantia sicut de anima intellectiva, que est tota in toto et tota in qualibet parte. Et sic dicitur de Anima mundi, quia cuilibet parti mundi | astat indistanter, que est Deus. Et sic Plato 208v deficit in hoc quod ponit pluralitatem substantiarum separatarum, quia in specie humana ponit unam, in specie asinina unam, et sic de aliis.

113 **Utrum in diffinitione totius debent poni partes materiales**. Solvitur prenotando quod quedam partes materiales dicuntur quantitative eiusdem rationis existentes, sicut quelibet pars aeris est aer. Alio modo dicuntur partes materiales, ⟨sive sint formales⟩ (sicut ⟨est⟩ modus loquendi Platonis) sive sint partes subiective, sicut species respectu generis. Sed genus et differentia dicuntur partes formales respectu speciei. Alio modo pars formalis dicitur altera pars compositi, ut prima materia.

114 Et sic ponuntur conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod de virtute sermonis nulla pars diffiniti ponenda est in diffinitione. Patet, quia diffinitum est terminus simplex. Sed in diffinitione ponuntur partes integrantes ipsum terminum. Et ⟨sic⟩ hoc nichil ad propositum.

115 Sed hic queritur utrum in diffinitione nominis significantis totum debent poni termini significantes partes istius totius. Tunc fit secunda conclusio quod, capiendo partes materiales pro quantitativis, non oportet in diffinitione totius poni nomina significantia partes. Probatur quia: Tales partes sunt infinite. Et tunc non esset ratio quia deberet poni una pars magis quam alia. Igitur etc. Tertia conclusio: Capiendo partes materiales pro partibus subiectivis, partes non debent poni in diffinitione totius. Probatur quia: Diffinitio non esset convertibilis cum diffinito, ymo inferior, quia pars subiectiva est inferior ad suum totum. Igitur etc. Quarta conclusio: Capiendo partes materiales tertio modo, adhuc partes non debent poni in diffinitione quiditativa totius. Probatur quia: In omni diffinitione quiditativa quelibet pars diffinitionis dicitur predicari de diffinito quiditative. Sed materia non predicatur de toto composito quiditative. Igitur etc. Quinta conclusio: In diffinitione quiditativa causali debent poni partes materiales, capiendo partes materiales tertio modo. Probatur quia: Alias non exprimerentur omnes cause rei vel diffiniti, quia non exprimeretur causa materialis. Igitur etc.

116 **Utrum in diffinitione totius debent poni partes formales**. Solvitur prenotando quod partes formales uno modo dicuntur qualificative alicuius totius, que sunt diversarum rationum in toto, sicut manus et pedes, materia et forma. Secundo modo capiuntur secundum opinionem Platonis pro partibus formalibus, sicut sunt superiora ad inferiora secundum naturam. Et sic genus dicitur forma respectu speciei. Tertio modo capitur | pro altera parte compositi, scilicet pro forma substan- 209r tiali.

117 Et sic ponuntur conclusiones. Prima. Si partes formales capiuntur primo modo vel tertio modo, non ponuntur in diffinitione quiditativa totius. Probatur quia: In diffinitione quiditativa termini debent predicari de diffinito in recto et non in obliquo. Sed partes numquam predicantur de toto in recto. Igitur etc. Maior nota sexto[1] *Topicorum*. Minor patet, quia ista numquam est vera 'Homo est pes'; similiter nec ista 'Homo est forma'. Secunda conclusio: Si partes formales capiantur secundo modo, tunc debent poni in diffinitione totius. Patet, quia in diffinitione quiditativa semper debent poni termini superiores sicut genus et differentia; igitur etc. Tertia conclusio: In diffinitione causali totius debent poni partes formales tertio modo dicte. Probatur quia: Diffinitio causalis debet explicare totam naturam diffiniti. Hoc non potest esse nisi nominibus significantibus partes essentiales. Igitur etc.

118 **Utrum forma substantie materialis sit tota quiditas eius**. Solvitur prenotando quod quiditas rei est quod significat responsum ad interrogationem factam per 'quid est?'. Et sic ponitur conclusio quod questio sit falsa. Patet, quia quando interrogamus 'Quid est homo', non respondetur 'anima' nec 'corpus', sed totum compositum ex illis. Sed si intelligitur per 'quidditatem' pars essentie, tunc questio est vera, quia per formam dicitur res in actu. Igitur etc.

119 **Utrum nomina que sunt genera, differentie vel species, significant formam tantum, vel compositum ex materia et forma**. Solvitur ponendo conclusionem quod loquendo proprie de forma substantiali et de composito ex materia et forma, ista nomina 'homo', 'animal' non significant formam distincte a materia nec materiam distincte a forma, sed significant compositum ex materia et forma. Probatur quia: Si mon, tunc ista esset vera 'Homo est anima' vel 'Animal est anima', vel etiam 'Homo est materia'. Quod falsum est. Igitur etc.

120 **Utrum in eodem supposito** (puta in Sorte) **oportet esse plures formas substantiales correspondentes pluribus predicatis quiditativis subordinatis**; verbi gratia, quod Sortes per aliam formam substantialem sit homo et per aliam sit animal et per aliam sit corpus animatum (et sic de aliis quiditativis subordinatis). Solvitur ponendo conclusionem quod Sortes non per aliam formam dicitur homo et per aliam animal (et sic de aliis), sed per eandem. Probatur quia: Non indigeremus ponere aliquam materiam preter istas formas. Quod est inconveniens. ⟨Igitur etc.⟩. Consequentia probatur quia: Non indigeremus ponere materiam nec ut sit subiectum continue manens sub utroque termino transmutationis quando ex una substantia generatur alia Modo forma

1 *Topica* VI 10, 148a10–12.

generalissima, scilicet substantie, vel forma corporeitatis esset subiectum sufficiens, quia | non oporteret istam corrumpi quando ex aere fit 209v
aqua, cum utrumque sit corpus et substantia et aliquid et ens. Igitur etc. Item. Deo attribuuntur diversa predicata quiditativa, quia ipse est deus et substantia et aliquid. Et tamen aliquid sibi convenit secundum quod deus, ut iste terminus dominus, et non convenit sibi secundum quod substantia. Et tamen non oportet plures formas in Deo poni, cum sit omnino simplex. Igitur etc.

121 **Utrum universalia sint separata a singularibus**. Solvitur prenotando quod 'universale' capitur multipliciter. Uno modo dicitur universale in causando, sicut Deus. Et sic universale est separatum a singularibus. Aliud est universale in predicando. Et isto modo termini predicabiles de pluribus dicuntur universalia, et singularia dicuntur termini de uno solo predicabiles. Et sic etiam universale est distinctum a singularibus. Et possunt simul esse nomina. Sed non sunt ad intentionem Platonis, unde Plato dixit singularia esse ista que significantur per terminos singulares, sed universalia que significantur per terminos universales. Et ista dixit esse separata a singularibus.

122 Contra istam opinionem Platonis fit conclusio quod isto modo universalia esse separata a singularibus non est verum. Probatur quia sequeretur quod hec non esset vera 'Sortes est homo'. Consequens est falsum et contra eum. Consequentia tenet, quia sunt duo separata; igitur unum non est reliquum. Secundo quia: Ista est vera 'Sortes est homo', et etiam ista est vera 'Plato est homo'. Ergo est unus vel alter. Si unus homo, tunc Sortes est Plato; quod falsum est. Si autem alter, tunc erunt tot universalia quod essent singularia. Quod est falsum, et contra eum. Igitur etc.

123 **Utrum universalia sint distincta a singularibus (**et non loquitur de terminis, sed de rebus). Solvitur ponendo conclusiones. Prima: Universalia non sunt distincta a singularibus. Probatur quia propositiones affirmative ubi universale predicatur de singulari, ⟨non⟩ essent vere, ut dicendo 'Sortes est homo'. Consequens est falsum. Et patet consequentia, quia subiectum et predicatum non supponunt pro eodem. Item. Ista est vera 'Sortes est homo' et 'Plato est homo'. Convertantur iste dicendo 'Homo est Sor', 'Homo est Plato'. Tunc quero utrum idem est homo qui est Sor et qui est Plato, vel alius et alius. Si est idem, tunc arguitur sic 'Homo est Sor; et homo est Plato; ergo Plato est Sortes'. Si est alius, tunc non est una ydea omnis universalis. Igitur.

124 **Utrum in substantiis species contrahitur ad individuum per differentiam substantialem vel per differentiam accidentalem**. Solvitur ponendo conclusionem quod non per differentias substantiales, sed per accidentales. ⟨Patet, quia per differentias accidentales⟩ percipi-

mus contractiones speciei ad individuum. Ipse tamen res significate per terminos individuales seipsis [| formaliter dicuntur. Patet etiam, si 210r
essent duo lapides omnino consimiles in figura, magnitudine, corpore (et sic de aliis accidentibus) et successive apportarentur in tuam presentiam et unam vicem haberes ad iudicandum utrum lapis secundo apportatus esset idem ⟨ei⟩ qui primo fuit apportatus, et sic de aliis. Sed secunda pars conclusionis probatur. Nec forma Sortis est forma Platonis, nec materia Sortis nec materia Platonis. Igitur etc.

125 Circa quod nota quod contractio habet intelligi quantum ad conceptus seu terminos significantes. Et vocamus 'contractionem ad speciem' additionem differentie ad ipsum genus, per quam additionem restringitur suppositio generis ad ista solum pro quibus supponit significative. Ita etiam dicitur ⟨quod⟩ species contrahitur ad terminum singularem per additionem differentie restringentis istum terminum specificum ad significandum pro isto solum pro quo supponit terminus singularis. Igitur etc.

126 **Utrum singulare potest diffiniri**. Solvitur prenotando quod duplex potest esse diffinitio. Uno modo tamquam terminus diffiniti convertibilis cum diffinitione, cuius significatio explicatur per diffinitionem, sicut hec oratio 'animal rationale' est diffinitio huius termini 'homo'. Alio modo est diffinitio alicuius tamquam rei significate per terminum diffinitum.

127 Tunc ponuntur conclusiones. Prima quod rerum singularium existentium sunt diffinitiones secundo modo. Patet quia: Termini diffiniti ⟨qui⟩ sunt termini substantiales (ut sunt isti termini 'animal', 'homo', 'lapis'), ⟨per terminum diffinitum⟩ diffiniuntur. Et tales significant res singulariter existentes extra animam, et non res universaliter existentes, sicut predictum est prius. Igitur etc.

128 Secunda conclusio ⟨est⟩ quod terminus singularis non potest esse diffinitio primo modo. Probatur quia: Diffinitio cum explicite debeat dicere conceptum termini diffiniti, debet esse per plura nomina. Et tunc illa vel sunt communia vel sunt discreta, aut saltem istorum discretorum. Si sint communia, tunc oratio aggregata ex eis esset communis et predicabilis de pluribus, vel saltem secundum modum sue impositionis non repugnaret sic quod esset communis, idest de pluribus predicabilis, ut patet de isto termino 'sol'. Et sic ista diffinitio omnino esset propria termino singulari cui ex modo sue significationis repugnat supponere de pluribus. Si vero dicatur quod in diffinitione Sortis ponitur terminus discretus supponens solum pro Sorte, tunc

5 et unam vicem] in unam viam *C* 8 nec] est *C*

iste esset synonimus huic termino 'Sortes', et tunc non esset bona diffinitio, quia unus terminus non debet diffiniri per alium terminum sibi synonimum.

129 **Utrum isti termini significent idem convertibiliter, scilicet 'unum in numero', 'hoc aliquid', [210v] 'individuum' et 'singulare'**. Solvitur prenotando quod isti termini 'hoc aliquid' et 'unum numero' sunt termini prime intentionis. Et differunt primo quia unum numero est terminus communis significans indifferenter tam substantias totales quam partiales quam accidentia. Et conceduntur iste 'Omne ens est unum numero', 'Materia prima est unum numero', 'Albedo est una numero'. Sed iste terminus 'hoc aliquid' significat solas substantias totales. Et est terminus singularis significans solum istam rem que per ly 'hoc' demonstratur. Et sic ista est falsa 'Homo est hoc aliquid', sicut ista 'Omnis homo est hic homo'. Et isti termini 'singulare' et 'individuum' sint synonimi et secunde intentionis supponentes pro terminis discretis. Et opponuntur istis terminis 'commune', 'universale', qui supponunt pro terminis communibus. Et sic conceditur ista 'Ly Sortes est individuum vel singulare'; et negatur quod Sortes est individuum vel singulare.

130 **Utrum possibile est aliquam rem cognoscere singulariter sine eius sensatione**. Solvitur prenotando quod nullus est conceptus singularis nisi sit conceptus rei per modum existentis in presentia et in prospectu cognoscentis. Et iste modus vocatur intuitivus. Verum est tamen quod per memoriam bene percepimus rem singulariter per hoc quod memoratur hoc fuisse in prospectu cognoscentis et per talem modum illud cognovisse. Et sic memorando de Sorte quem vidi, ego iterum concipio istum singulariter, licet ipsum non videam. Sed si ipsum non vidissem, non possum de eo conceptum formare supponentem pro eo, saltem non per cognitionem circumstantiarum communium. Igitur etc.

131 **Utrum questio *quid est* habeat locum in simplicibus**. Solvitur prenotando quod dupliciter potest solvi: uno modo logice, alio modo quantum est ad propositum. Quantum ad primum est sciendum quod secundum logicum questio *quid est* querit diffinitionem. Secundo sciendum quod diffinitum significat confuse illud quod distincte significant partes diffinitionis. Et sic patet quod terminus diffinibilis est compositus. Necnon proceditur in infinitum in partes quantitativas. Ergo est devenire ad unum terminum indiffinibilem qui non est resolubilis in genus generalissimum. Et istum terminum Aristotiles vocat primum et supremum. Sic dicunt logici quod istorum terminorum non sunt diffinitiones, quia sunt primi.

20 singulariter] simpliciter *C*

132 Quantum ad secundum est sciendum quod iste diffinitiones qui componuntur ex generibus et differentiis, dicuntur formales. Et dicuntur[1] vane et indemonstrabiles primo *De anima*. Et istas non querit | 211r
philosophus naturalis sed querit alias pure causales. Unde querit primum de materia (et sic de aliis). Modo Philosophus dicit[2] in septimo huius quod in questione *quid est* aliquid debet esse cognitum. Ergo res circa quam est questio *quid est*, est aliquo modo composita. Et sic in simplicibus non est questio *quid est*, quia de illis non queruntur partes. Et illa est in proposito quod deducit sic quia quando quero quia est homo, tunc adhuc dubito quid est homo. Et si est simplex, tunc queretur amplius de eo. Igitur etc.

133 **Utrum celum habeat materiam substantialem inherentem ei**. Solvitur ponendo secundum Commentatorem conclusionem quod celum non habet materiam subiectam forme substantiali, licet possit dici materia, capiendo materiam pro subiecto motus localis. Probatur quia si celum esset compositum ex materia et forma, ipsum esset naturaliter generabile et corruptibile. Huius oppositum est demonstratum[3] primo *Celi*. Et probatur conclusio quia Aristotiles numquam potuit arguere in istis inferioribus nisi per transformationes substantiales. Nec esset aliqua via sufficiens ad concludendum necessitatem materie. Et sic tandem potest argui: Nichil ponendum est frustra in natura. Et tamen frustra materia poneretur in celo, si poneretur, cum non appareat necessitas ponendi eam nisi propter generationem et corruptionem substantiales. Sed Egidius et Thomas dixerunt[4] oppositum, et male.

134 **Utrum possibile est idem agere in se vel pati a seipso**. Solvitur ponendo conclusiones. Prima quod idem secundum idem sui agit in se et patitur a se, movet se et movetur a se. Patet quia anima non solum movet corpus sibi subiectum, imo totum compositum simul et quamlibet partem eius. Igitur etc. Et ita est de gravitate, que movet ipsum totum grave deorsum. Et ita de intellectu et voluntate.

135 Secunda conclusio ⟨est⟩ quod post principalitatem agentis primi, scilicet Dei, idem potest agere in se et pati a se tamquam principale agens et tamquam principale passum. Patet quia intellectus syllogizando est principale agens et principale recipiens. Et etiam voluntas in formando actum volendi.

8 simplicibus] singularibus *C*

1 Cfr. *De anima* I 5, 409b12–13.
2 *Metaph.* VII 12.
3 *De caelo* I 3, 270a12–22.
4 Thomas Aquinas, *In Arist. De caelo et mundo Expos.* I, comm. 63 (ad *De caelo* I 3, 270a12–22). Aegidius Romanus, *De materia caeli* (ed. Paduae 1439).

136 Tertia conclusio ⟨est⟩ quod nichil agit in se sine adiutorio agentis. Probatur quia Deus non agit in se nec patitur a se, quia est omnino impassibilis et immutabilis. Et etiam nullum aliud agens, sive agat in se sive agat in alterum, potest agere sine adiutorio Dei coagentis. Igitur etc. Sed circumscripta Dei influentia, adhuc nichil agit | in se 211v sine adiutorio alterius agentis. Hoc patet per inductionem. Primo de celo. Non enim movet se, sed Intelligentia movet et orbis movetur. Secundo de gravibus, quia grave, licet secundum se totum moveatur, non tamen secundum se totum ⟨motum⟩ movet, quia materia non movet, quia nullius est activitatis. Similiter de animali, ⟨quia⟩ quamvis totum moveatur, tamen materia movetur et non movet, sed forma. Sicut de intellectu, quia concurrit ad movens, scilicet intelligibile vel fantasma[1] vel etiam species intelligibiles, que agunt dispositive, et sic de aliis. Commentator: Nichil idem et secundum idem agit in se vel patitur a se.

137 **[213r linn. 3–6] Utrum actus et potentia opponuntur**. Solvitur ⟨prenotando⟩ quod si 'actus' supponit pro omni quod est, et potentia significat carentiam actus et esse ipsius cui non repugnat. Et sic opponuntur, sicut 'Antichristus est' et 'Antichristus potest esse'. Et sic iste opponuntur 'Nunc sum albus' et 'Postea possum esse albus', et sic de aliis.

138 **[211v lin. 9sqq.] Utrum aliqua potentia irrationalis sit eadem oppositorum**. Solvitur prenotando quod per 'potentiam' possumus intelligere potentiam activam et passivam. Secundo quod per 'opposita' intelliguntur vera contraria vel contradictoria.

139 Et sic ponuntur conclusiones. Prima: Eadem potentia passiva irrationalis successive potest exire in contraria, sive contrarie sive contradictorie. Patet de prima materia, que potest nunc recipere album et postea nigrum; de contradictoriis, quia potest recipere dispositionem, vel potest non recipere eam.

140 Secunda conclusio: Potentia irrationalis activa potest in contraria, capiendo contraria contradictorie. Patet de igne, qui potest comburere, si applicantur ei combustibilia, et potest non comburere, si ei non applicantur.

141 Tertia conclusio: Potentia activa irrationalis potest producere contraria in materiis dissimilibus. Patet de igne, quia indurat lateres et mollificat plumbum.

142 Quarta conclusio: Potentia irrationalis potest producere effectus contrarios in eodem subiecto, ut caliditas constringendo per antiperi-

1 fantasia *C*

stasim facit grandinem et per rarefactionem facit aquam et sic subtiliat et congelat.

143 Quinta conclusio: Nulla potentia irrationalis potest exire in oppositа, rebus similiter stantibus. Patet quia, posito quod ignis habeat combustibilia ⟨sibi applicantia⟩, tunc non potest non comburere; et si non habet combustibilia sibi applicantia, tunc ⟨non⟩ potest ⟨nisi⟩ non comburere.

144 Et sic intellexit Aristotiles in litera. Sed rationalis potentia, circumscriptis omnibus aliis quibuscumque, se determinat ad istam partem, vel ad istam. Qualiter tamen non est de ⟨ir⟩rationali.

145 **Utrum ista differentia inter potentias rationales et irrationales sit bene assignata, scilicet quod potentia rationalis est eadem oppositorum, potentia vero irrationalis non, sed est una unius tantum factiva**. Solvitur ponendo conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod utraque potentia potest simul producere motus oppositos vel etiam recipere actus | contrarios; sed neutra potest simul producere motus oppositos vel recipere simul actus contrarios, prout in prima li 'simul' determinat hoc quod est 'potest', sed in secunda prout determinat ly 'producere'. Probatur. Quando hoc quod est 'simul' determinat hoc quod est 'potest', tunc significat tantum quod aliqua potentia habet simul oppositos effectus, ut possum et habeo ⟨potestatem⟩ ad cras standum et sedendum, et sic de aliis. Patet alia pars, scilicet quod possum simul producere actum standi et sedendi. 212r

146 Secunda conclusio ⟨est⟩ quod sic[ut] potentia motiva secundum locum ipsius canis, circumscripto actu appetitus, quod exeat ⟨in aliquem⟩ motuum contrariorum, requirit determinationem, scilicet per actum voluntatis. Et patet per Philosophum in litera, qui dicit[1] quod hoc fit per desiderium vel appetitum vel sensum.

147 Sciendum quod ista differentia est intelligenda de actibus voluntatis in⟨ter⟩ eligendum et appetitus sensualis in appetendo, quia voluntas est potentia rationalis, appetitus autem est potentia irrationalis, quia voluntas est ita libera quod potest in actus oppositos, sed non appetitus, quia, positis omnibus que requiruntur ad volendum, voluntas potest se determinare ad velle vel nolle, sed appetitus, positis omnibus que requiruntur ad appetendum, non potest se determinare ad aliam partem.

16 motus] modos *C* 25 actu appetitus] actus oppositus *C* 26 motuum] actuum *C* 33 volendum] voluntatem *C* 35 appetendum] appetitum *C*

1 *Metaph.* IX 5, 1048a11 sqq.

148 **Utrum omne quod aliquis faci⟨e⟩t, ipse potest facere, et omne quod fiet, potest fieri; similiter de aliis modis loquendi quantum ad posse**. Solvitur prenotando quod duplex est potentia, quedam remota, quedam propinqua. Si loquimur de potentia remota, tunc questio est vera. Et sic conceduntur tales 'Puer in utero matris potest currere'. Sed loquendo de potentia propinqua, tunc questio est falsa. Et sic prior propositio esset neganda; et similes. Igitur etc.

149 **Utrum actus sit prior potentia secundum rationem, idest secundum diffinitionem**. Solvitur prenotando quod 'potentia' sumitur prout connotet carentiam actus. Et sic actus significat existere rem, et potentia non existere rem; tali tamen non repugnat existere. Et isto modo actus et potentia opponuntur privative. Alio modo actus vocatur forma, et potentia materia. Et tunc opponuntur relative.

150 Et sic ponuntur conclusiones. Prima: Si actus et potentia opponuntur privative, tunc actus est prius potentia ratione. Probatur quia ut sic actus est habitus et potentia est privatio. Modo habitus semper facit cognoscere privationem. Igitur etc.

151 Secunda conclusio: Si actus et potentia opponuntur relative, tunc nullum est | altero prius secundum rationem. Patet quia: Relativa sunt 212v
simul natura et naturali intelligentia. Et unum diffinitur per aliud, et nullum est notius alio. Igitur etc.

152 Conclusio tertia ⟨est⟩ quod adhuc alio modo actus est prior potentia respectus illius potentie que potest fieri post actum, vel quod non cognoscimus potentiam alicuius nisi prius actum cognoscimus. Patet inductive, quia si tu numquam vidisses istum hominem domificare vel citharizare, tu nescires utrum esset domificator vel citharista, et sic de aliis. Et ista conclusio tertia intelligitur de potentia propinqua, sed non de remota.

153 **Utrum ⟨actus⟩ sit prior potentia secundum tempus**. Solvitur prenotando quod ⟨uno modo⟩ 'potentia' capitur pro potentia activa et passiva, et actus dicitur operatio procedens ex talibus potentiis. Alio modo capitur 'potentia' pro isto quod non est et non repugnat ei esse, et 'actus' sumitur pro omni quod est.

154 Et sic ponuntur conclusiones. Prima conclusio ⟨est⟩ quod nullus actus est omni potentia prior [vel prior potentia]. Patet quia alique sunt potentie eterne, quibus nichil est prius, sicut potentia materie prime vel potentia celi ad motum axis. Et econverso, nulla potentia est omni actu prior. Patet quia aliqui habitus sunt eterni, sicut motus celi.

155 Secunda conclusio ⟨est⟩ quod aliqua potentia est aliquo actu prior. Patet hoc in temporalibus actibus et potentiis.

8 potentia] *Cc* substantia *C*

156 Tertia conclusio ⟨est⟩ quod Aristotiles de illis non intendit, sed istas questiones intelligit quod omne genitum et corruptibile prius fuit in potentia quam in actu. Probatur quia: ⟨Quod⟩ non semper fuit et fit, antequam fuit erat in potentia, quia non existebat nec repugnabat ei quin posset esse. Igitur etc.

157 Alia conclusio ⟨est⟩ quod omnem potentiam in uno et eodem individuo precessit unus actus, idest agentis, reducens potentiam in actum, idest actus aliquis precessit reducens potentiam generationis ad actum, quia omne quod fit, fit ab aliquo.

158 **Utrum actus sit prior potentia secundum substantiam et perfectionem**. Solvitur prenotando quod Aristotiles in proposito non accipiebat 'actum' prescise pro operatione alicuius potentie active vel passive, immo accipiebat 'actum' pro potentia operante vel actuata. Et accipiebat 'potentiam' pro potentia ⟨non⟩ operante vel non actuata.

159 Et sic ponitur conclusio quod questio est vera. Probatur. Illud quod est posterius secundum viam generationis, hoc est prius secundum perfectionem. Sed actus est huiusmodi. Igitur etc. Maior nota, quia natura procedit de imperfecto ad perfectionem. Minorem inducit multipliciter, dicens[1] quod | actus habet se ad potentiam sicut vigi- 213r
lans ad dormientem. Aliud exemplum ⟨est⟩ quod actus habet se ad potentiam sicut videns ad eum qui claudit oculos, et sic de aliis.

160 **Utrum omne mensurabile mensuratur uno**. Solvitur prenotando quod mensurabile proprie est quantum vel quantitas, et rem mensurare est notificare quanta sit. Sed aliqua sunt que proprie non sunt quanta sed per attributionem, sicut Intelligentie respectu motuum, quia sunt mensurabiles penes moveri, quia dicimus illam esse maioris virtutis que velocius movet. Et Primus Motor est maioris virtutis.

161 Etiam de numero, qui dicitur mensurabilis unitate, sit prima conclusio quod de omni numero si debeat sciri quantus sit, hoc scitur ex suis unitatibus vel aliquo numero notificato ex unitatibus. Patet, quia si decem homines sint in domo, non possum ⟨hoc⟩ scire nisi quod sciam quod hic sit unus et ibi alius, et sic de aliis. Et ex alio notaficatur aliquando, certificata unitate. Et sic[ut] scio quod decem capita sunt in domo quia scio decem homines esse in domo.

162 Secunda conclusio ⟨est⟩ quod nullus numerus notificatur unitate, sed unitatibus. Patet quia pluribus unitatibus. Et sic intelligitur dictum[2] Aristotilis «Omnis numerus mensuratur uno», idest unitatibus.

16 viam] *Cc* modum *C* 30 notificato] modificato *C*

1 *Metaph.* IX 6, 1048a35–b5.
2 *Metaph.* X 6, 1057a3–4.

163 Tunc de modo mensurandi. Primo modo res mensurantur per suas unitates, ut multitudo aliqua intuitive mensuratur per suas partes. Et sciendum quod quelibet unitas est indivisibilis. Et sic intelligitur ⟨quod⟩ si sint decem homines, tunc quilibet homo unus est indivisibilis in plures homines. Alius est modus mensurandi secundum proportionalem divisionem, ut quando mensuramus ambitum terre per gradus in celo, quantum cuilibet gradui correspondet. Vel si mensuramus tempus per motum, aut econverso. Et iste reducitur ad secundum. Alius est quando mensuratur unum per ductionem unius in alterum, ut quando ducitur unum latus in aliud, ⟨ut⟩ 3 in 4, dicendo quotcumque quatuor, tunc notificatur tota superficies, que est duodecim.

164 **Utrum diffinitio contrarietatis quam assignat Aristotiles in isto decimo libro, sit bona in qua dicitur quod contrarietas est ⟨differentia⟩ maxima, vel etiam quod contrarietas est differentia perfecta**. Solvitur prenotando quod hic | loquitur de contrarietate terminorum, quia dicit[1] species esse contrarias et differentias. Secundo notandum quod Aristotiles hic et in aliis locis dicit[2] quatuor ⟨esse⟩ modos oppositionis, scilicet oppositionem relativam, contrariam, contradictoriam, et privativam. Contradictorie opponuntur termini quorum unus est finitus, alter infinitus, ut 'homo', 'non-homo'. Sed privative opponuntur que apta nata sunt esse circa idem, ut visus et cecitas. Contrarie opponuntur qui significant terminos mutationum, ut 'album' et 'nigrum'. 213v

165 Ulterius nota quod ista que sunt in eodem genere predicabili, dicuntur differentia; que autem sunt in diversis generibus, illa diversa dicuntur. Ulterius nota quod ista que in diversis generibus et predicamentis ponuntur, plus differunt quam ista que sunt in eodem.

166 Et sic ponuntur conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod ista diffinitio contrarietatis non est bona 'Contrarietas est maxima differentia'. Probatur quia: Contraria debent esse in eodem genere. Modo illa que sunt in diversis generibus, magis differunt, ut homo et albedo differunt tam genere quam specie, sed contraria solum specie. ⟨Igitur etc.⟩.

167 Secunda conclusio: Contrarietas est maxima differentia in eodem genere. Pro quo nota quod aliqua que sunt in eodem genere, differunt magis, quedam minus et quedam maxime. Et maxima et perfecta mutatio est que in specie sua nec poterit incipere ab infra nec poterit procedere ad intra. Unde non esset calefactio perfecta si inciperet a tepido, licet terminaretur ad calidissimum, quia poterat incipere infra

1 *Metaph.* x 3, 1054b23 sqq.
2 *Metaph.* x 4, 1055a34 sqq.; *Categ.* 10, 11b17 sqq.

tepidum, et sic de aliis. Et sic Aristotiles per contraria intellexit terminos ultimatos perfecte mutationis. Et omnia per que fieret transitus, vocarentur media contrariorum. Et ideo sic debet diffiniri contrarietas: Contrarietas est differentia maxima eorum que sunt in eodem genere, scilicet terminorum supponentium pro formis vel dispositionibus habentibus adinvicem transmutationem.

168 **Utrum unum est uni tantum contrarium**. Solvitur ponendo conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod una forma est multis contraria. Patet quia hec forma albedo est omnibus nigredinibus formis contraria. Secunda conclusio ⟨est⟩ quod una forma est uni contraria tantum, capiendo omnes formas cuiusdem speciei et similes pro una tantum. Et sic una forma calidita⟨ti⟩s omnibus formis frigiditati[bu]s eiusdem speciei contrariatur. Probatur quia: Iste maxime distant. Et sunt sub eodem genere. Igitur etc.

169 Sciendum quod ista propositio 'Contraria sunt nata fieri circa idem' debet intelligi quod ipsa vel eis similia possunt fieri circa idem subiectum et non possunt simul inesse eidem. Et sic dicatur de terminis contrariis.

170 **Utrum prima contrarietas est habitus et privatio**. Solvitur prenotando quod 'habitus' et 'privatio' aliquando sumuntur large ita quod in oppositione omne perfectius dicitur habitus et imperfectius dicitur privatio. Tunc fit conclusio prima quod prima contrarietas est habitus et privatio. Patet, quia omnis contrarietas in causa reducitur, cum in omni contrarietate unum sit perfectius alio, ut album est perfectius nigro. 214r

171 Alio modo dicuntur habitus et privatio termini significativi alicuius forme vel dispositionis circa aliquod subiectum quarum unus significat illam formam positive et alter retractive, sicut 'cecus' et 'habens visum'. Et sic nulla oppositio privativa est oppositio contraria, accipiendo 'contrariam oppositionem' proprie, quia ista semper est inter formas positivas.

172 Nota adhuc ⟨quod⟩ termini privativi et contrarii possunt adinvicem comparari duobus modis. Primus est quod habitus et privatio significant res priores quam termini contrarie oppositi, quia termini privative oppositi supponunt pro substantiis, ymo pro primo ente, ut dicendo 'Deus est est immutabilis, incorruptibilis et immortalis et ingenitus', et sic de aliis. Sed hoc non faciunt termini contrarie oppositi.

173 Secundus modus ⟨est⟩ quod habitus et privatio est communior quam contrarietas. Patet, quia habitus et privatio inveniuntur in 'uno'

8 prima] *Cc om. C* 34 contrarie] contrarii *sic saepius C* 36 immutabilis] immobilis *C*

et 'multo', qui sunt termini communissimi, sed contrarietas solum invenitur in terminis eiusdem generis.

174 Et sic intellexit Philosophus quod habitus et privatio istis modis est prius et prima contrarietas. Sed capiendo proprie contrarietatem pro rebus, tunc ⟨habitus⟩ est prior privatione, quia privatio est in terminis et conceptibus, sed res sunt priores conceptibus et anime rationibus.

175 **Utrum omne corruptibile ab omni incorruptibili differt genere**. Solvitur prenotando quod quoddam est genus naturale et quoddam predicamentale. Genus naturale est materia sive subiectum plurium habentium vel possibilium adinvicem habere transmutationem. Sed genus logicum est terminus communis predicabilis de pluribus differentibus specie *in eo quod quid est*. Et sic ponitur conclusio quod corruptibile et incorruptibile non sunt eiusdem generis naturalis. Patet, quia si sic, ipsa haberent transmutationem adinvicem terminative, et ex uno posset fieri reliquum. Quod est falsum. Et istam conclusionem intendit Aristotiles.

176 Sed logicalius ⟨questio⟩ dupliciter solvitur per istas conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod, captis 'corruptibili' et 'incorruptibili' personaliter, sunt eiusdem speciei vel generis in predicamento Quantitatis vel Qualitatis. | Patet, quia sic 'bicubitum' potest supponere pro re corruptibili, 214v
sicut pro ligno, et etiam pro re incorruptibili, scilicet pro celo vel parte celi. Similiter arguo de istis terminis 'triangulus' et 'quadrangulus', et sic de aliis.

177 Secunda conclusio ⟨est⟩ quod in genere Substantie eadem species specialissima non supponit pro corruptibili et incorruptibili. Patet quia: Quecumque sunt eiusdem speciei specialissime, ista sunt eiusdem rationis quiditative. Ideo constituta sunt ex consimilibus principiis. Ideo si unum est corruptibile, alterum est corruptibile.

178 Tertia conclusio: Capiendo 'corruptibile' et 'incorruptibile' materialiter, tunc sunt in eodem genere, quia privatio et habitus debent esse in eodem predicamento. Et sunt in predicamento Actionis vel Passionis, quia 'corruptibile' significat quod potest corrumpi et sic est in predicamento Passionis; et sic de incorruptibili, quod etiam est in predicamento Passionis.

179 **Utrum omnis multitudo in causatis proveniat ex multitudine agentium vel ex multitudine materiarum**. Solvitur prenotando quod duplicia sunt agentia, libera et non libera, et sunt naturalia. Et sic ponuntur multe conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod, materia existente eadem et agente eodem, possibile est ex eis provenire effectus diversos secundum numerum, et hoc successive. Probatur quia: Ex materia A et ab igne B possunt generari diversi ignes, unus primus, quo corrupto generatur aer, quo aere corrupto generatur ignis. Igitur etc.

180 Secunda conclusio ⟨est⟩ quod diversitas numeralis graduum successive generatorum et unam formam intensam constituentium bene fit in eadem materia et ab eodem agente. Patet quia in eadem materia potest produci caliditas que habet multos et diversos gradus. Igitur etc.

181 Tertia conclusio ⟨est⟩ quod quorumcumque diversorum effectuum numero et extra ipsam materiam situatam existentium necessario est diversas esse materias. Patet quia non potest tale fieri sine materia subiecta. Et ipsa materia non potest esse extra seipsam situata. Igitur etc.

182 Quarta conclusio ⟨est⟩ quod ex eadem materia possunt fieri effectus diversi specie propter diversitatem causarum agentium. Patet quia ex eodem aere potest fieri aqua. Sed aqua est corrumpens istum aerem, et ex eodem potest fieri ignis, si ignis esset corrumpens istum aerem. Igitur etc.

183 Quinta conclusio ⟨est⟩ quod ab eodem agente fiunt bene diversi actus secundum speciem propter diversam materie dispositionem. Patet quia: Ignis agit mellitiem in cera vel in plumbo, et duritiam in luto vel lateribus. Igitur etc.

184 Sexta conclusio secundum Aristotilem | et Commentatorem ⟨est⟩ 215r
quod numquam ab eodem agente vel etiam ab omnino simili et consimiliter disposito ex eadem materia vel simili et similiter disposita proveniunt effectus diversi specie vel dissimiles, nisi concurrant alia agentia vel diversitates aliquorum aliorum agentium. Patet, quia talis diversitas non proveniret ex diversitate formarum generatarum, cum habeant esse ab ipso agente et educantur de potentia istius media; igitur etc.

185 De liberis ⟨agentibus⟩ patet quod possunt ⟨in⟩ opposita. Igitur etc.

186 **Utrum substantiarum et accidentium eadem sunt principia**. Solvitur ponendo conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod substantiarum et accidentium, ymo omnium causatorum est eadem prima causa, scilicet Deus. Secunda conclusio ⟨est⟩ quod substantiarum et accidentium sunt bene eedem cause propinque, tam agentes quam materiales. Patet quia eadem est materia que recipit formam substantialem ignis et que recipit calorem disponentem ad istam formam substantialem. Tertia conclusio est quod substantiarum et accidentium sunt diverse cause, tam efficientes quam materiales, tam formales quam finales. Patet, capiendo lapidem et scientiam, istarum sunt diverse cause et diversa principia. Quarta conclusio ⟨est⟩ quod omnium substantiarum earundem secundum speciem vel genus sunt cause intrinsece eedem secundum speciem vel genus. Patet, quia habent easdem diffinitivas rationes; vel

17 cera] *Cc* terra *C*

quia cause intrinsece pertinent ad rationes intrinsecas causatorum, nisi essent cause intrinsece eedem ⟨specie⟩. Igitur etc. Quinta conclusio ⟨est⟩ quod non oportet accidentia eiusdem speciei esse solum in subiectis eiusdem speciei

187 **Utrum primus motor sit actus sive potentia**. Solvitur ponendo conclusionem quod Deus est actus non informans aliquod subiectum, scilicet prout actus est idem quod existere rem, sicut dicebatur in nono huius. Quod patet, quia Deus semper est. et sic Deus non est potentia. Vel sic exponitur: ⟨est⟩ primus actus, primum ens vel primum agens.

188 **Utrum primus motor sit omnino simplex**. Solvitur prenotando quod 'simplex' uno modo capitur communiter et improprie, quia non est compositum substantialiter sive individualiter ex pluribus corporibus diversarum rationum actu per se subsistentibus vel saltem potentibus subsistere. Et isto modo ignem, aerem, aquam et terram dicimus corpora simplicia. Secundo modo dicitur simplex magis proprie quod non est compositum ex partibus diversarum rationum. Sic materiam primam dicimus simplicem et etiam formam ei inherentem. Tertio adhuc magis proprie dicitur simplex | quod ex nullis partibus integratum 215v est, sive quantitativis sive aliis. Et sic dicimus animam nostram simplicem. Quarto modo simplex dicitur propriisime quod nec habet partes ex quibus componitur nec alteri est componibile, sicut una pars alteri componitur.

189 Tunc fit prima conclusio quod Deus est simplex primo modo. Patet, quia est incorporeus et sine magnitudine. Igitur etc. Secunda conclusio: Primus motor est simplex secundo modo. Patet, quia si non, ipsum non esset primum ens nec prima causa, quod falsum est. Et patet consequentia, quia partes sic componentes aliquod totum sunt priores; igitur et cause illius. Vel etiam sunt sibi invicem cause, sicut [albedo] materia et forma ad compositum ex eis. Tertia conclusio: Deus est simplex tertio modo. Probatur quia: Ex nullis partibus componitur, quia non componitur ex partibus diversarum rationum nec ex partibus quantitativis (ut iam dictum est) nec componitur ex partibus gradualibus, quia sic substantie non componantur, cum repugnet eis suscipere magis et minus. Igitur etc. Quarta conclusio ⟨est⟩ quod primus motor est simplex quarto modo. Probatur quia: Ipse nullam dispositionem habet vel habere potest sibi inherentem, quia omnis dispositio inherens alicui subiecto, etsi sit conveniens subiecto, perficit ipsum et sine ipsa non esset perfectum. Modo Deus in seipso et omni alio circumscripto est ens perfectissimum. Igitur etc.

3 accidentia] accidentium *C* 13 subsistentibus] existentibus *C* | saltem] sic *C* 17 inherentem] adherentem *C*

190 **Utrum eadem Intelligentia moveat idem mobile tamquam causa agens et tamquam causa finalis**. Solvitur prenotando quod triplex est finis, scilicet alius finis acquisitionis, alius conservationis, tertius assimilationis. Finis acquisitionis vocatur quem agens intendit sibi acquirere aut alicui alteri, sicut medicus intendit sibi acquirere pecuniam et infirmo sanitatem. Sed finis assimilationis vocatur cui agens vel passum intendit assimilari; et sic Deus est finalis causa omnium aliorum, quia omnia agunt ut assimilentur ipsi Deo. Sed finem conservationis vocamus presentiam quam agens habet et intendit et appetit eam conservare. Sic homo sanus appetit conservare sanitatem ambulando per campos.

191 Et sic ponuntur conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod Intelligentia movet orbem per modum agentis. Probatur | quia: Quemlibet orbem celestem 216r
oportet moveri active ab aliquo motore. Et tamen orbis non movet seipsum, quia omne quod movetur, movetur ab aliquo. Igitur orbis movetur a virtute sibi inherente non habente magnitudinem; quam vocamus Intelligentiam. Igitur etc.

192 Secunda conclusio ⟨est⟩ quod Intelligentia movet per modum finis. ⟨Probatur⟩ quia: Sicut dicit[1] Aristotiles, [quod] Intelligentia movet spheram sicut appetibile et intelligibile. Sed appetibile et intelligibile habent se sicut finis, quia non appetimus aliqua nisi tamquam finem intentum vel gratia finis intenti. Igitur etc. Etiam agit per finem assimilationis, ut in hoc plus Deo conformetur.

193 **Utrum fuit intentio Aristotilis et Commentatoris quod Deus moveat primum mobile active, vel quod solum moveat ipsum per modum cause finalis**. Solvitur ponendo conclusionem quod Aristotilis et Commentatoris intentio est quod Deus moveat celum active motu diurno et per modum cause finalis, conservantis ista inferiora. Probatur quia: Oportet aliquam esse Intelligentiam moventem active. Et quelibet movens active movet ut finis. Ideo nulla necessitas est ponendi aliam Intelligentiam quam Deum que sit agens et finis. Igitur etc. | Nota: Aris- 194
totiles Ymaginabatur quod Deus non potest velocius movere celum quam nunc movet. Et sic Deum dicebat[2] non esse infiniti vigoris, quia si esset infiniti vigoris, moveret in instanti. Et credidit Deum movere celum per tempus infinitum. Propter quod credidit Deum esse infinite potentie secundum durationem. Et sic credidit ⟨esse⟩ etiam alias Intel-

20 spheram] *coni.* per *C*

1 *Metaph.* XII 7, 1072b3.
2 *Metaph.* XII 7, 1073a6 sqq.

ligentias. Et tamen Deum credidit esse aliorum vigorum quam alias. Quod est contra fidem.

195 **Utrum celum secundum eius substantiam dependet a Deo tamquam a causa agente**. Solvitur prenotando quod duplex est agens. Unum est producens rem de non esse ad esse. Et sic Aristotiles diceret celum secundum eius substantiam non habere causam agentem, quia celum dicebat[1] esse sempiternum. Aliud est agens conservans, sicut corpus lucidum conservat radium ab eo emissum, quia si removetur corpus lucidum, peribit iste radius.

196 Et sic | ponitur conclusio quod celum secundum eius substantiam 216v
dependet a Deo tamquam ab agente conservante. Patet quia: Celum ad esse suum indiget dependere ab ipso Deo. Tale autem quod indiget dependere ad suum esse ab alio et non materialiter nec subiective, dependet ab eo tamquam a conservante. Et ideo si abstraheret suam causalitatem, celum corrumperetur. Sed Aristotiles credidit quod impossibile esset Deum abstrahere suam influentiam in celum. Quod contra fidem est.

197 **Utrum Deus est delectatio et vita**. Solvitur prenotando quod omne predicatum simpliciter perfectionale propter maiorem Dei cognitionem debet Deo attribui, et alia significantia quantumcumque diminutionem et imperfectionem debent de ipso negari. Et vocatur predicatum perfectionale quod nullam diminutionem connotat nec ad ipsum sequitur aliqua diminutio, neque simpliciter neque in respectu alterius. Et dicitur 'in respectu alterius', sicut dicendo 'Hoc est minus perfectum quodam alio'. et sic ille terminus 'asinus' non dicitur predicatum perfectionale, quia licet significet rem perfectam in tali specie, tamen invenitur eo perfectius. Et sic est dicendum de istis 'album', 'nigrum', et sic de aliis.

198 Et ex hoc notabili conceduntur iste 'Deus cognoscit', 'Deus non sentit', 'Deus intelligit', 'Deus ⟨non⟩ est in tempore', 'Deus intelligit se', 'Deus amatur a seipso'. Et sic in amando seipsum delectatur. Et sic Deus est ipsa delectatio. Quod probatur quia: Delectatio est actus immanens ei qui delectatur, sicut intellectio intelligenti. Et ideo vel est addita vel inherens Deo, vel est ipse Deus. Sed non inheret ipsi Deo, quia iam non esset Deus simpliciter simplex. Vel esset compositus ex pluribus. Vel esset compositus intellectioni, et sic per aliud significaretur, scilicet per illam intellectionem. Et tunc non esset simplex. Quod est falsum. Igitur etc.

1 E.g. *De caelo* I 3, 270a12–22.

199 Quantum ad secundam partem questionis notatur quod vita in nobis aliquando sumitur pro actu primo, scilicet pro ipsa anima, et aliquando pro actu secundo, scilicet pro operatione ipsius anime, ut nutrire, sentire vel intelligere. Ideo concludendum quod Deus vivit non vita nutritiva vel sensuali, sed intellectiva. Que est actus immanens, quia non est aliud quam intelligere. Et tunc inferatur, sicut de delectatione, quod vita Dei non est dispositio sibi addita, sed est ipse Deus. Igitur etc.

200 **Utrum quotquot sunt motus celestes, tot sunt Intelligentie, et econverso**. Solvitur ponendo conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod omnis motus divinus, | sive sit unus specie sive diversarum, est ab uno motore, sci- 217r
licet Deo. Probatur quia: Vel ultima sphera moveret alias motu suo diurno; quod est falsum, quia alii motus essent violenti, quia essent motus tract⟨ori⟩us vel vect⟨or⟩ius, vel pulsus vel vertigo. Vel quod idem motor moveret omnes simul – et hoc est propositum. Vel quod quelibet haberet motorem suum proprium qui moveret motu diurno; sed hoc non, quia irrationale est sic multiplicari Intelligentias, cum possit salvari per unam.

201 Secunda conclusio: Quelibet sphera totalis habet motum suum proprium ab Intelligentia ei appropriata. Et istam conclusionem intendunt probare Aristotiles et Commentator, quia viderant quod celum motu diurno movetur et a celo etiam movetur proprie quelibet sphera inferior. Quod non potest esse ab una Intelligentia. Igitur etc. Correlarium: quod tot sunt Intelligentie quot sunt tales motus, quia exquo tales non possunt esse plures ab eodem motore, oportet esse quamlibet ab una Intelligentia cuilibet specialiter appropriata. Igitur etc.

202 **Utrum in corporibus celestibus ponendi sunt epicicli**. Solvitur dicendo quod ponendi sunt epicicli propter istam causam, scilicet propter appropinquationem et elongationem planetarum. – tunc sunt remotisimi quando ⟨sunt⟩ supra mangesin epy⟨cicli⟩, sed propinqui sunt movendo regimen epycicli –; et etiam propter retrogradationem et directionem planetarum.

203 **Utrum in celo ponendi sunt orbes ecentrici**. Solvitur ut precedens, quia multe apparentie alias non possunt salvari. Igitur etc.

204 **Utrum secundum ordinem spherarum celestium in situ sit ordo earum in perfectione**. Solvitur ⟨dicendo⟩ quod questio est vera, quia continere est nobilius quam contineri. Sed ⟨sic est in proposito⟩. Igitur etc. Secunda ratio: Suprema sphera movetur a nobilissimo motore.

1 vita in] vitam *C* 7 vita] ista *C* 22 a celo] alio *C*

Igitur ipsa est nobilissima. Et quod est propinquius nobiliori, hoc est nobilius. Igitur etc., licet aliquando in aliqua proprietate perfectionali orbis inferior excedit superiorem. Igitur etc.

205 **Utrum Deus intelligit se et omnia alia a se**. Solvitur ponendo conclusiones. Prima ⟨est⟩ quod Deus intelligit se. Probatur quia: Perfectissima intellectio debet esse perfectissimi intelligibilis et perfectissimi intelligentis. Modo perfectissimum intelligibile | est Deus et etiam per- 217v
fectissimum intelligens est Deus. Igitur etc.

206 Secunda conclusio: Deus nichil intelligit per representativum aliud a se, quia sic intellectionem Dei oporteret dependere a tali representativo. Sed intellectio Dei a nullo potest dependere, cum ipsa sit Deus. Correlarium: Quidquid Deus intelligit, ⟨ipse intelligit⟩ per suam simplicissimam essentiam sine concursu alterius intellectionis et alterius representativi.

207 Tertia conclusio ⟨est⟩ quod Deus nichil intelligit complexe. Probatur quia: Statim in eo sequeretur multiplicitas et compositio. Quod est falsum. Igitur etc.

208 Quarta conclusio: Deus omnia alia a se distincte intelligit. Probatur: Deus omnia alia a se causat active. Sed omne quod Deus agit, per intellectum et voluntatem ipse agit. Igitur etc. Item. Est sicut dux in regno, idest intelligit entium distinctiones.

209 **Utrum sit unus solus primus princeps**. Solvitur ponendo conclusiones. ⟨Prima est⟩ quod est solus unus princeps. Probatur quia: Entia in mundo oportet esse adinvicem ordinata, quia elementa sunt propter mixta, et plante propter animalia et homines. Et certum est quod ista inferiora subordinata sunt corporibus celestibus, et corpora celestia Intelligentiis. Sed non esset perfectus ordo nisi sit unum primum ⟨principium⟩ ad quod omnia alia ordinarentur quod esset causa ordinis aliorum. Igitur etc. Et non intelligitur de primo principio materiali rerum.

Et sic est finis methaphisice questionum cum conclusionibus Biridani.

EXPLICIUNT QUESTIONES BIRIDANI CUM CONCLUSIONIBUS CIRCA METHAFISICAM.

PART THREE

INDICES

INDEX LOCORUM

Legendum

LE 198	*Lectura Erfordiensis*, cap. 198
AC 16	*Abbreviatio Caminensis*, cap. 16
to LE 9	note to *Lect. Erford.*, cap. 9.
to AC 10	note to *Abbrev. Camin.*, cap. 10.

Anonymus
Liber de causis
Prop. 6a — LE 168; 195

Anonymus
Conflatus vocabulorum
ubi? — LE 660n.

Aristoteles
Categoriae
1, 1a1–2 — LE 585
4, 1b25 sqq. — LE 607
5, 4b8–10 — LE 424
6, 4b20–5a14 — AC 63
7, 6b28 — LE 644
7, 6b34–35 — LE 644
10, 11b17 sqq. — AC 164
10, 11b24–31 — LE 644
12, 14b21–22 — LE 424
De interpretatione
1, 16a3–8 — LE 521 f.
1, 16a3–4 — AC 52
10, 20a16 sqq. — LE 257
12, 22a6 sqq. — LE 630
Analytica priora
I 1, 24a16 sqq. — LE 611
Analytica posteriora
I 1 — LE 233
I 1, 71a29–30 — LE 137n.
I 2, 71b9–25 — AC 93
I 3, 72b8 sqq. — LE 169
I 4, 73a35 sqq. — LE 563; 571
I 4, 73b11–13 — LE 566
I 5, 79b5 sqq. — LE 393
I 8, 75b26–32 — LE 313
I 9 sqq. — LE 222
I 12 — LE 231
I 13, 78b32 — LE 226
I 19, 81b33 sqq. — LE 169
I 28, 87a28 sqq. — LE 163
I 34, 86a4–10 — LE 169
II 1 — LE 179; 233
II 1–2 — LE 233; 314
Topica
I 7 — LE 583
I 9 — LE 102
II 2, 109b23–26 — LE 512
VI 10, 148a10–12 — AC 117
Sophistici Elenchi
24, 179b2–4 — LE 328
Physica
I 1 — LE 82
I 1, 184a16–24 — LE 65
I 2, 185a20 sqq. — LE 431
I 4, 187b7–8 — LE 169
I 5, 189a4–8 — LE 79
I 9 — LE 30; AC 99
I 9, 192a35–b7 — LE 200
II 1 — LE 38
II 3 — AC 21
II 3, 194b16–195a3 — LE 535
II 4–6 — AC 86
III 4, 203b15 sqq. — LE 524
IV 8, 215b18 — LE 701
VI 1, 231a24 — LE 701
VI 10, 241a3 — LE 701
VII 1 — LE 198
VII 1, 241b34 sqq. — AC 19

VIII 6, 258b10 sqq. *AC* 19
VIII 10 *LE* 169
De caelo
I 3, 270a12–22 *AC* 133; 195
I 4, 271a34 *LE* 140
De generatione et corruptione
I 3, 318a23–25 *LE* 218
I 6, 322b1–2 *LE* 560
De anima
I 1, 402b16 sqq. *LE* 101
I 5, 409b12–13 *AC* 132
II 4, 415a17 sqq. *LE* 253
II 5, 417b20 sqq. *LE* 134
II 9 *LE* 121
II 9, 421a18–21 *LE* 49
III 4, 419b18–22 *AC* 88
III 6, 430b1–2 AC 89
III 7, 431a16–17 *LE* 166
III 8 *LE* 187
III 10, 433a15–20 *LE* 8
De sensu et sensato
1, 437a3–5 *LE* 49
1, 437a15–18 *LE* 51
De somno et vigilia
1, 454a8 *LE* 83
Metaphysica
I, 1–2 *LE* 2
I 2, 982a26–27 *LE* 118
I 2, 982b31 *LE* 227
I 8 *LE* 217
II 1 *LE* 140
II 1, 993b9–11 *LE* 165; 172
II 1, 993b25 sqq. *AC* 21
II 1, 994a1–12 *AC* 21
II 2 *LE* 199; 209
II 2, 994b27–30 *LE* 169
II 3, 995a14 sqq. *LE* 100; 104
III 3, 998b26–27 *LE* 360
IV 2, 1003a33–35 *LE* 363
IV 2, 1003b22–23 *LE* 605
IV 2, 1003b25 sqq. *LE* 295; 321
IV 2, 1004a10 sqq. *LE* 276
IV 2, 1004b1 sqq. *LE* 257
IV 2, 1004b18 sqq. *LE* 236
IV 3, 1005b12–14 *LE* 487; 500
IV 3, 1005b19–22 *LE* 487; *AC* 43
IV 4, 1005b35 sqq. *LE* 449 f.
IV 4, 1006a6–9 *LE* 520
IV 4, 1006a11 sqq. *AC* 52
IV 5 *AC* 43
IV 5, 1010a13–15 *LE* 504
IV 5, 1010a15 sqq. *LE* 1 f.
V 2, 1013b18–29 *LE* 535
V 3, 1014a26–27 *LE* 552; 605
V 3, 1014b9–14 *LE* 551
V 6 *LE* 292
V 6, 1015b17–32 *LE* 602
V 6, 1016b31 sqq. *LE* 581
V 6, 1016b32–33 *LE* 584
V 6, 1016b33 *LE* 585
V 6, 1016b33–34 *LE* 586
V 6, 1015b36–1016a1 *LE* 571
V 7, 1017a23–28 *LE* 371
V 7, 1017a31–35 *LE* 611
V 9, 1018a9 *LE* 648; 673
V 12, 1019b22 sqq. *LE* 617
V 12, 1019b23 *LE* 620
V 15, 1020b32–1021b3 *LE* 637; 646
V 15, 1021a21–25 *LE* 638
VI 1, 1025b9–10 *LE* 110
VI 1, 1025a28–b23 *LE* 172
VI 1, 1025b28–1026a23 *LE* 214
VI 1, 1026a11 sqq. *LE* 226
VI 1, 1026a25 *LE* 229
VI 2, 1026a37–b1 *LE* 371
VI 4 *LE* 293
VII 1, 1028a11–12 *LE* 371
VII 1, 1028a32–34 *LE* 355
VII 4 *LE* 320
VII 4, 1029b12 sqq. *LE* 392
VII 4, 1029b23 sqq. *LE* 398; 400
VII 6, 1031a15 sqq. *LE* 366
VII 12 *AC* 132
VIII 1, 1042a25–32 *LE* 698
VIII 6, 1045b7–16 *LE* 698
VIII 6, 1045b8–12 *LE* 698
IX 5, 1048a11 sqq. *AC* 146
IX 6, 1048a35–b5 *AC* 159
X 1 *LE* 271 f.

x 3, 1054b23 sqq. *AC* 164
x 4, 1055a34 sqq. *AC* 164
x 5, 1055b30 *LE* 433
x 6, 1057a3–4 *AC* 162
x 8 *LE* 256
xi 7, 1064a28–b2 *LE* 172
xi 8, 1065a24–26 *LE* 205
xi 8, 1065a32–35 *LE* 169
xi 10 *LE* 209
xii passim *LE* 2
xii 6, 1072a7–7, 1072a26 *LE* 169
xii 7 passim *LE* 1
xii 7, 1072b3 *AC* 192
xii 7, 1072b15–30 *LE* 691
xii 7, 1073a6 sqq. *AC* 194
xiii 4, 1079a27–28 *LE* 675

Ethica Nicomachea
i 2, 1094a27–b2 *LE* 3
i 2, 1094b7–10 *LE* 4
i 2, 1095a19–20 *LE* 7
i 13–14 *LE* 38
ii 1 *LE* 102
ii 1, 1103a30–34 *LE* 77
ii 6 *LE* 248
iii 1, 1110a1–3 *LE* 40
iii 2 *LE* 31
iv passim *LE* 360
v 7, 1134b25–26 *LE* 35
vi 2, 1139a19–20 *AC* 4
vi 3, 1139b29 sqq. *LE* 1
vi 7, 1141a18–20 *LE* 1
vi 7, 1141b16 *LE* 77
vi 12, 1144a34–36 *LE* 9
vi 13, 1144a29 sqq. *LE* 9
vi 13, 1144a36–b1 *LE* 5 f.
vi 13, 1145a6–7 *LE* 12
vi 13, 1145a7–10 *AC* 1
vii 5, 1146b29–30 *LE* 145
vii 13, 1152b33–35 *LE* 21
vii 15 *LE* 21
x, 6–8 *LE* 23
x 6, 1177a1 sqq. *LE* 38
x 6, 1177a9–11 *LE* 14
x 7, 1177a12–17 *AC* 16
x 7, 1177a13 sqq. *LE* 16
x 7, 1177b19 sqq. *LE* 41
x 7, 1177b27–34 *LE* 175

Magna Moralia
i 34, 1198a34 sqq. *LE* 13
i 34, 1198b14–20 *LE* 13

Politica
i 9 *LE* 202
ii 2 *LE* 691
vii 1, 1323b21–23 *LE* 5
vii 2–3 *LE* 23

Rhetorica
i 11, 1370a11–12 *LE* 32

Aegidius Romanus
De materia caeli AC to LE 133

Averroes
In Arist. Anal. Post. Comm.
to i 1, 71a29–30 to *LE* 137

In Arist. Phys. comm.
to i 9, comm. 83 *LE* 200; ? 226;
to viii 1 *LE* 198
to viii 4, 255a23 sqq. *LE* 634

In Arist. De anima comm. magnum
p. 10, 20–21 *LE* 634
p. 386, 26 ff. *LE* 253
p. 441, 37–38 *LE* 518

In Arist. Metaph. Comm.
to ii 1 *LE* 140
to ii 1, 993b9–11 *LE* 175
to ii 3 *LE* 51
to ii 3, 995a14 sqq. *LE* 100; 104
to iv 2, 1003b26 sqq. *LE* 321
to iv 2, 1004b18 sqq. *LE* 236
to iv 3, 1003a21 sqq. *LE* 228
to v 15, 1020b32 sqq. *LE* 637; 646
to vi 1, 1026a11 sqq. *LE* 226
to vii 1, 1028a3033 *AC* 96
to xii 4, 1091b37 *LE* 393

In Arist. Eth. Nicom. Comm.
to VI 12, 1144a34–36 *LE* 12

Avicenna
Metaphysica
Tr. 1, cap. 1, p. 13, 47–48 *LE* 200

Calcidius
Timaeus
p. 20, 21–22. to *AC* 104

Heraclitus
Fragm. 22B 91 Diels *LE* 139

Hippocrates
Aphorismoi
1, 1 *LE* 64

Johannes Venator
Logica
II 7, cap. 37 *LE* 543n.

Plato
Meno 80D–E *LE* 137; 162
Timaeus 28A *AC* 104

Porphyrius
Isagoge
6, 8–9 (p. 12, 2–3) *LE* 221; 363
6, 13–14 (p. 12, 7–8) *LE* 267

Robertus Lincolniensis
In Arist. Anal. Post. Expos.
II 3, to I 1, 71a11 sqq. *LE* 344

Thomas Aquinas
In Arist. De caelo et mundo Expos.
I, comm. 63 (to *De caelo* I 3, 270a12–22) *AC* 133
In Arist. Metaph. Expos.
comm. 2–4 *LE* 39
comm. 556–557 *LE* 296
In Arist. Eth. Nicom. Expos.
comm. 446 and 1467 *LE* 543n
comm. 1273–1274 *LE* 9
comm. 1337 *LE* 145
comm. 1533 *LE* 21
De veritate
q. 22, art. 1, arg. 10 *LE* 137n.
Summa theologiae
Ia, q. 2, art. 2 *LE* 179.

INDEX NOMINUM

Legendum

LE 198	*Lectura Erfordiensis*, cap. 198
AC 16	*Abbreviatio Caminensis*, cap. 16
to *LE* 9	note to *Lect. Erford.*, cap. 9.

Aegidius Romanus
AC 133

Aristoteles
passim; see also *Index locorum*

Averroes
see s.n. *Commentator*

Avicenna
LE 198; 200; 287; 296; 301; 305

Commentator
[= Averroes]: *LE* 12; 100; 104; 137n.; 175; 178; 198; 200; 226; 228; 233; 236; 247; 253; 290; 296; 301; 305; 321 f.; 393; ?452; 518; 558; 634; 637; 646; *AC* 96; 133; 184; 193; 201

Constantinus Africanus
to *LE* 64

Eustratius
LE 21

Heraclitus
LE 139; 504

Hippocrates
LE 64

Johannes Venator
to *LE* 543

Plato
LE 137; 162; 373; 510 f.; 528; *AC* 104; 121 f.

Porphyrius
LE 221; 267; 363 f.; 426

Robertus Lincolniensis
LE 344

Thomas Aquinas
LE 9n.; *LE* 39 ; 137n.; 119; 145n.; 187–190; to 296; 543n.; *AC* 133

INDEX VERBORUM ET RERUM NOTABILIUM

Legendum

LE 150	*Lectura Erfordiensis*, cap. 150
AC 23 f.	*Abbreviatio Caminensis*, capp. 23 f.
to LE 660	note to *Lect. Erford.*, cap. 660

Abhominabilis LE 150
absens non presens sed absens: LE 347
absolutus terminus absolutus/connotativus: AC 23 f.; 67
absolvere absolvere formam ab inherentia: LE 696
abstrahere Deum abstrahere suam influentiam in celum: AC 196; – *logice def.*: active efficere intellectionem: LE 193; abstrahere a fantasmatibus: LE 167
accidens de substantia et accidente: LE 351–383; 565 ff.; substantia est prius ens quam accidens: LE 355; utrum substantiarum et accidentium eadem sunt principia: AC 186; unus conceptus communis substantiis et accidentibus: LE 351–383; AC 35 f.; de diffinitione accidentis (termini accidentalis): AC 103–106; non minus habet asinus aut lapis attributionem et dependentiam a Deo quam accidentia ad substantiam: LE 354; est dare conceptum unum quo simul concipitur substantia et accidens, non tamen indifferenter sed differenter: LE 368; sicut in substantiis inveniuntur cause efficientes, ita etiam in accidentibus secundum eandem rationem: LE 369; ens secundum se/secundum accidens: LE 601–616; dicta secundum se/secundum accidens: LE 99–102; 320; 366; 392; 398; AC 99–102; causa per accidens: LE 205; unum per accidens: LE 563–579; veritas fidei dissonat opinioni Aristotilis in multis accidentibus: LE 365 ff.; 374 ff.; numerus et magnitudo magis conveniunt quam substantia et accidens: LE 272; ad inherentiam non sufficit subiectum et accidens: LE 697; impossibile est accidens esse sine subiecto: AC 15
acquisitio finis acquisitionis *def.:* AC 190
actus ens dividitur secundum actum et potentiam: LE 239; 323; 634; actus est idem quod existere rem: AC 187; utrum substantiarum et accidentium eadem sunt principia: AC 186; 'actus' supponit pro omni quod est: AC 137; – actus et potentie differentie opposite sunt: LE 634; utrum actus et potentia opponuntur: AC 137; omnes actus et generationes sunt circa singularia: LE 81–99; AC 9 f.; actus appetendi est circa universale: LE 84; actus distinguuntur per obiecta: LE 253; duplicatio vel unitas actuum non sequitur

proportionalitatem unitati vel duplicationi obiectorum: *LE* 249; ex similibus habitibus generantur similes actus: *LE* 248
addiscere artes et scientie quas et in quibus oportet addiscere: *LE* 3
aer ignis, aer et aqua non sunt proprie elementa, sed solum materia prima et forma substantialis: *AC* 58; quando ex aere fit aqua: *AC* 120; ex materia A et ab igne B possunt generari diversi ignes, unus primus, quo corrupto, generatur aer, quo aere corrupto, genera-tur ignis: *AC* 179; – aer nobis coniunctus: *LE* 126; aer iuxta terram habet multam commixtionem exhalationum et vaporum ex terra elevatorum: *LE* 126; aqua statim continuatur aque et aer aeri: *LE* 705
affectare ignorantia affectata: *LE* 31
agens agens liberum/non-liberum: *AC* 179ff.; duplex est agens, unum producens rem de non esse ad esse, aliud est agens conservans: *AC* 195; infinita sunt agentia simul subordinata: *LE* 203; est de natura agentis agere in passo suam similitudinem: *LE* 124; secundum quod a re aliquid producitur, dicitur agens: *AC* 55; cfr. *LE* 540; finis proprie dictus, scilicet gratia cuius agens agit prima intentione, dirigit ipsum agens in agendo et est tamquam exemplar agentis: *LE* 539; utrum omne quid fit, fiat ab agente sibi simili: *AC* 109; principale agens primum, scilicet Deus: *AC* 135; multitudo materiarum *opp.* multitudo agentium: *AC* 179–185
agere habitudines in agendo vel in continendo vel in inherendo: *LE* 639; utrum possibile est idem agere in se vel pati a seipso: *AC* 134–136; ignis agit mellitiem in cera: *AC* 183
aggregatio per aggregationem contingentem ex diversis predicamentis: *LE* 603
agnoscere nos possumus Deum agnoscere: *LE* 174
albedo hoc nomen 'aliquid' est vere univocum et univoce predicativum de hoc nomine 'lapis' et de hoc nomine 'albedo': *LE* 315; albedo inherens homini est causa hominis: *LE* 538
albus de conceptu 'albi': *LE* 356ff.; 368; 375; *album* et *esse album*: *LE* 320ff.
aliqualis *esse aliquid* (opp. *esse aliquale*): *LE* 366ff.; *AC* 36
aliquantus *LE* 366ff.; *AC* 36
aliquid de conceptu 'aliquid': *LE* 366ff.; 419ff.; supponere pro eo quod est aliquid: *LE* 372ff.; hoc nomen 'aliquid' est vere univocum et univoce predicativum de hoc nomine lapis et de hoc nomine 'albedo': *LE* 315; attributio non tollit quin sit bene conceptus communis, sed *esse aliquid* et *non esse aliquid* bene tollit: *LE* 378; *esse aliquid* (*opp. esse aliquale*): *LE* 366ff.; *AC* 36; esse lapidem est simpliciter loquendo esse aliquid: *LE* 366; de istis terminis 'res', 'unum', 'aliquid': *LE* 236; *AC* 24; si accipiamus hec nomina 'aliquid' et 'res' tamquam synonima: *LE* 366; cfr. 375; cfr. *AC* 36; aliquid/hoc aliquid: *LE* 374; utrum 'unum in numero', 'hoc aliquid', 'individuum' et 'singulare' significent idem convertibiliter: *AC* 129
analogia unum analogia: *LE* 580; cfr. sicut dicimus de Deo, ita proportionaliter dicimus de nobis: *LE* 16; unitas analogie: *LE* 600;

equivocatio non pura (= analogia): *LE* 600; cfr. *LE* 242
anima duplex anima in homine: *LE* 38; eadem anima intellectiva et sensitiva: *LE* 38; vita in nobis aliquando sumitur pro actu primo, scilicet pro ipsa anima, et aliquando pro actu secundo, scilicet pro operatione ipsius anime, ut nutrire, sentire vel intelligere: *AC* 199; anima intellectiva eat tota in toto et tota in qualibet parte: *AC* 112; anima non solum movet corpus sibi subiectum, ymo totum compositum simul et quamlibet partem eius: *AC* 134; Anima mundi cuilibet parti mundi astat indistanter, que est Deus: *AC* 112; animam et corpus fieri unum per inherentiam/coexistentiam/communionem: *LE* 698; intentio anime: *LE* 521 ff.; bona anime: *LE* 59; omnis scientie est anima subiectum: *LE* 233; distinctio istarum scientiarum speculativarum capitur penes distinctionem conceptuum anime: *AC* 80; preter animam: *LE* 647 ff.; 699; *AC* 76; ydemptitas est relatio per animam: *LE* 673
animal numquam attribuimus animalibus *esse* nisi inquantum est in prospectu nostro: *LE* 348; plante sunt propter animalia et homines: *AC* 209
animalis appetitus animalis: *LE* 46
annichilatio annichilatio mundi inferioris: *LE* 656 ff.
antiperistasis per antiperistasim [= 'per appositionem contrarii']: *AC* 142
apostolus unus sanctus super Apostolos superior: *LE* 2
apparentia est talis apparentia quod sensus vel intellectus potest assentire: *LE* 146; – cui istarum apparentiarum sit assentiendum: *LE* 126
apparere argumentum apparens: *LE* 454; ex apparenti evidentia: *LE* 145
appellare appellare formam: *LE* 328 ff.
appetere actus appetendi est circa universale: *LE* 84; *AC* 9 f.; entia naturalia prosequuntur ea que appetunt naturaliter: *LE* 33; equus sitiens appetit aquam: *LE* 84; omne ens naturale appetit naturaliter assimilari primo principio: *LE* 39
appetibilis illud est appetibile ad quod nos habemus naturale desiderium: *LE* 176; bonus servus parat otium domino: *LE* 13
appetitivus sensus appetitivus: *LE* 16
appetitus *def.* est inclinatio rei in simpliciter bonum vel in apparens bonum: *LE* 37; *AC* 2; appetitus est potentia irrationalis: *AC* 147; appetitus est ratione carentie: *LE* 30; appetitus animalis: *LE* 46; *AC* 2; appetitus naturalis: *LE* 32; 37 ff.; 45; *AC* 2; appetitus sensitivus: *LE* 16; 18; inordinatio appetitus sensitivi: *LE* 20; appetitus sensualis: *LE* 41; desiderium est actus ipsius appetitus: *LE* 29; 43; 176
aqua ignis, aer et aqua non sunt proprie elementa, sed solum materia prima et forma substantialis: *AC* 58; quando ex aere fit aqua: *AC* 120; aqua per suam naturam est frigida: *LE* 577; aqua non est per se frigida, quia potest calefieri: *LE* 570; aqua statim continuatur aque et aer aeri: *LE* 705; equus sitiens appetit aquam: *LE* 84; caliditas per rarefactionem facit aquam: *AC* 142
arbor arbor movens in ripa (litore): *LE* 125; 152
ardere ignis ardet: *LE* 35; 39

argumentum argumentum apparens: *LE* 454
arismetica *LE* 272; 282
ars artes et scientie: *LE* 3; 64–81; duplex est ars, doctrinalis, usualis: *LE* 77; *AC* 8; ars perfecta indiget experientiis: *LE* 80; artes mechanice (*opp*. artes speculative): *LE* 60; ars medicinalis: *LE* 86; artes et scientie quas et in quibus oportet addiscere: *LE* 3; ars fabrilis et medicina: *LE* 273; artes sutorie vel filandi: *LE* 61; artes militares: *LE* 61; artes et scientie addiscuntur in scolis: *LE* 67
artifex in artificialibus … artifex determinat se ad hoc artificium et non ad aliud: *AC* 110
articulus articulus fidei: *LE* 144
asineitas *LE* 190
asinus asinus iudicat sapidum quod iudicamus insipidum: *LE* 120; homo et asinus propter operationem conveniunt aliquo modo: *LE* 668 f.; Deo, asino et lapidi est unus conceptus communis, scilicet substantie: *LE* 354; non minus habet asinus aut lapis attributionem et dependentiam a Deo quam accidentia ad substantiam: *LE* 354; lapidem non esse asinum nichil est: *LE* 413–430
assensus de firmitate assensus: *LE* 142–147; de veritate et assensu: *LE* 142 ff.; *AC* 13 f.
assentire assentire primis principiis: *LE* 40; impossibile est assentire pluribus propositionibus implicantibus contradictionem: *LE* 469; firmiter assentire: *LE* 107; 144; *AC* 11; certitudi-naliter assentire: *LE* 142
assimilare assimilari primo principio: *LE* 39;
assimilatio finis assimilationis *def*.: *AC* 190
astare astare indistanter: *AC* 112
astra *LE* 348
astrologia *LE* 35
attributio *LE* 29; 60; 279 f.; 282; 286; 354 (attributio et dependentia); 375; 378; 539; 588; attributio non tollit quin sit bene conceptus communis, sed *esse aliquid* et *non esse aliquid* bene tollit: *LE* 378
auctoritas auctoritas famosa: *LE* 393
auditus de auditu: *LE* 50 ff.; 63; *AC* 6.

Binarius *LE* 358
bonitas bonitas complexionum valet ad bonitatem ingenii: *LE* 62
bonus simpliciter bonum/apparens bonum: *LE* 37; *AC* 2; sensus nostri nobis sunt dupliciter boni: *LE* 52; quanto aliquid est communius, tanto est melius et divinius: *LE* 4; 22; quod est magis delectabile, est melius: *LE* 20 f.; in intellectione Dei consistit nobis magna felicitas: *LE* 175; Deus non est principaliter felix et bonus ex ordine aliorum, ymo ex contemplatione sue essentie: *LE* 16; in quibus consistit felicitas, sunt optima bona: *LE* 59; bona anime (*opp*. bona corporis): *LE* 59; cfr. 175; *AC* 6; Deus est in infinitum melior quam aliquis homo: *LE* 12; optimum in homine pervertitur per malitiam: *LE* 9; 28 optimum bonum hominis est civile: *LE* 23; sine prudentia nullus potest esse bonus et cum prudentia nullus est malus: *LE* 5; 24; prudentia sic habet ad sapientiam sicut bonus servus ad dominum: *LE* 13; bonus servus parat otium domino: *LE* 13; bonum ex hoc dicitur utile quia est gratia alterius tamquam ordinatum ad alterum finem: *LE* 58; bonum honorabile dicitur ex hoc quia est gratia sui tamquam finis aliorum: *LE* 58; –

finis prudentie est bene vivere solum: *LE* 7
brutum bruta et lapides: *LE* 38; materia est eiusdem rationis in hominibus et brutis: *LE* 38.

Calefacere Calefaciens et calefactivum non differunt nisi secundum actum et potentiam: *LE* 634 f.
calefactibilis dicuntur adinvicem calefactivum et calefactibile: *LE* 633 calefactibile est calefactivo calefactibile: *LE* 638–643; cfr. *AC* 71; calefactibile et calefactivum considerantur prout important habitudinem unius ad alterum: *AC* 71; cfr. *LE* 638 ff.
calefactio *LE* 640; non esset calefactio perfecta, si inciperet a tepido: *AC* 167
calefactivus dicuntur adinvicem calefactivum et calefactibile: *LE* 633 potentia calefactiva non est determinata ad hoc calefactible vel illud: *LE* 94; *AC* 10; calefaciens et calefactivum non differunt nisi secundum actum et potentiam: *LE* 634 f.; calefactivum est calefactibilis calefactivum: *LE* 638–643; calefactibile et calefactivum considerantur prout important habitudinem unius ad alterum: *AC* 71; cfr. *LE* 638 ff.
caliditas caliditas constringendo per antiparistasim facit grandinem et per rarefactionem facit aquam, et sic subtiliat et congelat: *AC* 142; una forma caliditatis omnibus formis frigiditatis eiusdem speciei contrariatur: *AC* 168; caliditas que habet multos et diversos gradus: *AC* 180
canis canis acutius odorat quam homo: *LE* 150; potentia motiva secundum locum ipsius canis: *AC* 146
